BIBLIOTECA BANZI
A | 35
IX

Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Research Library, The Getty Research Institute

http://www.archive.org/details/delateranensibus00alem

DE LATERANENSIBUS
PARIETINIS
DISSERTATIO HISTORICA
NICOLAI ALEMANNI

Additis quæ ad idem argumentum
ſpectantia ſcripſerunt

ILL. VV. Cæſar Raſponus , & Joſephus
Simonius Aſſemanus.



ROMÆ MDCCLVI.

EXCUDEBANT JOACHIMUS , ET JOANNES JOSEPHUS SALVIONI
TYPOGRAPHI PONTIFICII VATICANI

SVPERIORVM FACVLTATE.

D. FORTUNATO
TIT. S. CALIXTI
CARDINALI. TAMBURINIO

ORDINIS. S. BENEDICTI. CASSINENSIS

SAC. CONGR. RITUUM. PRÆFECTO

HUMANIORIBUS. LITTERIS.

ET. SANIORIS. PHILOSOPHIÆ

DISCIPLINIS. ERUDITO

SACRIS. STUDIIS

PLENISSIME. IMBUTO

COMITATE. MODESTIA. PIETATE

MORIBUS. PLANE. ANTIQUIS.

CARITATE. IN. PAUPERES. RELIGIONE. IN. DEUM

MAXIME. CONSPICUO

OB. PROLIXAM. ERGA. SE. JAMDIU

MULTIS. SINCERISQUE. ARGUMENTIS

MANIFESTAM. VOLUNTATEM

NICOLAI. ALEMANNI

DE. PARIETINIS. LATERANENSIBUS

CUM. ADDITAMENTIS. ITERUM. EDITAM

DISSERTATIONEM. HISTORICAM

JOHANNES. BOTTARIUS

D. D.

IM-

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantin. Viceſgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius Elena Ord. Prædic. Mag. Socius Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri.

LECTOR



pag. 44.

LECTORI ERUDITO

QUanti facienda ſit hæc, quam in præſentia iterum typis mandare curavimus, elegantiſſima Diſſertatio de parietinis Lateranenſibus, jamdiu viri eruditi demonſtrarunt, qui eam tanto ſtudio exquiſierant, ut vel nulla, vel rariſſima, eaque magno pretio redimenda exemplaria reperirentur. Quin etiam ipſum tantummodo nomen auctoris eam ſatis ſuperque commendaret. Fuit hic Nicolaus Alemannus, qui ex Andro originem ducens natus tamen eſt Anconæ prid. Id.

Jan.

Jan. anno 1583. Romam veniens in Græcorum Collegium anno 1592. cooptatus fuit, ubi litteris Latinis, & Græcis ſedulam navavit operam. Adhuc extat ad tanti viri memoriam perennandam ejus effigies in eodem Collegio, & ſub ea hæc legitur epigraphe: *Nicolaus Alemannus Andrius perductis ad exitum abſolutiſſimum ſtudiis, eorum fructum in Græcæ litteraturæ magiſterio primum hic cœpit, in quo diſcipulum præceptore ſe dignum habuit Leonem Allatium. Cobellutium tunc præſulem, poſtea Purpuratum, eadem lingua imbuit, & Scipioni Burgheſio a Latinis epiſtolis fuit. Primus denique Cuſtos Vaticanæ bibliothecæ, librorum ipſe auctor multiplici eruditione, ac ſtyli candore nobilium, ingenium, doctrinamque ſuam omnibus approbavit. Meditantem, parantemque plura, litterariæ reipublicæ importuna mors abſtulit.*

Sed maxime opportunum venit hic addere, quæ Stephanus Gradius, & ipſe bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, doctus ſane, & eruditus, de Alemanno ſcribit in Vita Leonis Allatii, quæ ms. adſervatur in eadem bibliotheca cod 6905. dum de ipſo Allatio loquitur his verbis:

Sed fructus illi præcipuus Pontificii muneris fuit, quod bibliothecæ Cuſtodem (quo exactore officii ſui, atque arbitro uti deberet) ſortitus eſt veterem amicum ſuum, cujus olim in collegio Athanaſiano eloquentiæ præcepta tradentis auditor fuiſſet. Is fuit NICO-

LAUS

LAUS ALEMANNUS *Græcorum longe doctiſſimus, cujus diligentiæ debemus Arcanam Procopii Hiſtoriam ex vetuſto codice Vaticano juris publici factam, & notis doctiſſimis illuſtratam: item opuſculum Aureum* DE PARIETINIS LATERANENSIBUS, *reconditis antiquitatis eccleſiaſticæ myſteriis refertum. Et erat vir ille, multarum litterarum, ſummeque verſatus in omni genere artium optimarum: idem Scriptor copioſus, & elegans; verum anxio nimis, & ſuſpenſo ad omnia verba, omneſque ſententias judicio, quemque limæ in ſcribendo nec labor offenderet, nec mora non delectaret; quo factum eſt, ut minus multa ejus ingenii monumenta habeamus, quam pro viri doctrina, & lucubrandi aſſiduitate.*

Quem *Alemannum* appellatum videmus, nonnulli *Alamannum* perperam nuncuparunt, quo factum eſt, ut P. Julius Negrius in illa Scriptorum Florentinorum ἀσυντάκτως conſarcinata hiſtoria pag. 491. eum civem Florentinum fuiſſe falſo ſcribat, ac ex pervetuſta, illuſtrique Alamannorum familia ortum; in qua alioquin quamplurimi floruerunt litteratiſſimi viri, ac noviſſimis hiſce temporibus Marchio Andreas Marchionis Vincentii filius, in omnium ſtudiorum genere verſatus, & acri, ſummoque ingenio præditus, omnibuſque, quæ ad ingenuum civem pertinent, virtutibus apprime excultus, quem

infelix temporum conditio immaturo, & heu nimis crudeli fato nobis eripuit, cujus tam cari capitis, utpote mihi perquamfamiliariſſimi, & cariſſimi, memoriam nulla unquam delebit oblivio.

Nicolaum tamen Alemannum Romana civitate fuiſſe donatum adfirmat Mandoſius, in qua favore Scipionis Cobelutii, cui domi Græcas litteras tradiderat, inter canonicos S. Mariæ ad Martyres cooptatus fuit.

Quo autem anno obierit, patet ex inſcriptione ejus ſepulcro appoſita, quod in Quatuor Sanctorum eccleſia proſtat: ea vero ſic ſe habet:

D. O. M.
NICOLAO ALEMANNO ANCONITANO
BIBLIOTHECAE VATICANAE
ET ARCIS HADRIANAE ARCHIVII
PRAEFECTO
EXIMIA PIETATE
ET ILLUSTRI GRAECAE ET LATINAE ERUDITIONIS LAUDE
EDITIS ETIAM PRAECLARIS INGENII MONUMENTIS
CONSPICUO
QUI DUM AEQUE PRAECLARA PROPEDIEM EDENDA
ET A DOCTIORIBUS EXPETITA MOLIRETUR
NON SINE ROMANAE CURIAE DOLORE
AC MAGNA APUD OMNES OMNIS ORDINIS VIROS
EX MORUM ETIAM
INGENUORUM SUAVITATE
SUI DESIDERIO RELICTO
HUMANIS COELO DIGNUS ERIPITUR
GEORGEUS TROMBA LASCAREUS ANCONITANUS
CHARISSIMO EX SORORE NEPOTI
MOERENS MERITISSIMO POSUIT
VIXIT ANNOS QUADRAGINTA TRES MENS. VI. DIES XII.
OBIIT ANNO DOMINI MDCXXVI. DIE XXIV. JULII.
TRIBUS SUMMIS PONTIFICIBUS
QUIBUS FIDELISSIME AD XIV. PLUS MINUS ANNOS INSERVIVIT
ACCEPTISSIMUS.

Ale-

Alemanni opera ; quæ in lucem protulit, hæc ſunt.

Procopii Cæſarienſis Ἀνέκδοτα *Arcana Hiſtoria, qui eſt liber VIIII. hiſtoriarum. Ex bibliotheca Vaticana Nicolaus Alemannus protulit, Latine reddidit, notis illuſtravit. Lugduni apud Hierat.* 1623. *fol.*

Iterum vero inter omnia ejuſdem Procopii Opera in publicum hæc Arcana Hiſtoria prolata eſt Pariſiis ex typographia regia anno 1663. fol. iterumque Coloniæ 1669. fol.

Aliam ejuſdem Hiſtoriæ editionem Romæ anno 1524. adornatam innuit Cl. Comes Mazzuchellius de Scriptoribus Italicis ex Stolii introductione in Hiſtoriam litterar. pag. 347. cujus tamen adfirmationis fidem penes auctorem, eo quo pollet judicio, relinquit, ſibique incompertam eſſe fatetur. Ac ita profecto eſſe dicendum eſt, quum hæc editio non ſolum nullibi fuerit, verum nec eſſe potuerit ; etenim anno 1524. Alemannus nondum natus fuerat ; ni fortaſſe in annorum numero aliquis typothetarum error irrepſerit.

Verumtamen præter has editiones alia minime prætereunda eſt, quæ ſic inſcribitur :

Ἀνέκδοτα *ſeu Hiſtoria arcana Procopii Cæſarienſis Nicolao Alemanno defenſore, primum ex biblioth. Vaticana prolata : nunc pleriſque locis* συγγρόνων (l. συγχρόνων) *teſtimoniis falſitatis convicta a Johanne Eiche-*

chelio Franco Profeſſ. Helmſt, gemino indice locupletata.

Eichelius autem falſitatis hanc Procopii hiſtoriam inſimulatur in Præfatione, quam μακρολογὴν eidem hiſtoriæ præmittit. Quin ſeptem poſt menſes illi ſuperaddidit opellam hoc titulo inſcriptam:

Imperatoris Juſtiniani defenſio adverſus Alemannum auctore Thoma Rivio J. C. Regis Angliæ advocato, curante Joh. Eichelio Helmſtad. Prof. qui loca auctorum adſcripſit, ex quibus hæc apologia eſt adornata. Helmeſtadii. Typis ac ſumptibus Henniaci Mulleri Acad. typogr. anno CIƆIƆCLIV. in 4.

At quamvis Eichelius ubique acerbum ejus in Alemannum, maleque affectum animum præferat, attamen in Præfatione ad lectorem, veritate compulſus, ſeſe cohibere non potuit, quin de eo ſcriberet: *Num hoc Alemannus, cui neque ingenium, neque doctrinam defuiſſe lubens largior, ignorare potuit*? Sed nullam inſulſiorem, nullam futiliorem, nullamque magis a vero abhorrentem cauſam comminiſci poterat Eichelius inſimulandi Alemannum. Inficiatur enim homo hic, neſcio quibus intemperiis actus, hanc hiſtoriam nullo modo a Procopio fuiſſe elucubratam, ſed illi perperam adſcriptam, & fortaſſe ab ipſo Alemanno, ut invidiam cieret in Imperatores. Sed quas nam adfert cauſas tantæ iræ, odiique plus quam Vatiniani contra principes viros in ſummo rerum

rum humanarum faſtigio collocatos, quique neque injuria, neque contumelia affecerant, nec afficere poterant Alemannum? En plane nova, & inopinate excogitata ratio. Quod Alemannus ſtudio partis Pontificiæ tenebatur. Profecto hanc retuliſſe rationem, eam ſtatim ac abunde confutaſſe, & exſufflaſſe eſt.

Verum maxime miror, cur nam alioquin diligens Langletus in tom. 3. De ratione legendi hiſtorias, hanc poſtremam tantum Anecdotorum Procopii editionem meminerit, ceteris aliis poſthabitis. Suſpicor valde an hoc caſu, vel aliqua ratione factum ſit. Diverſimode admodum de Alemanni, quam circa Procopium navavit, opera judicium tulit eruditiſſimus P. Claudius Maltretus S. J. presbyter, qui in monito ad Lectorem, quod præfixit tomo primo Hiſtoriæ Procopii ſic ait:

Si conſilium eſt, erudite lector, hos libros non prius legere, quam authorem pernoveris; qualis fuerit, hinc oculos, & manum converte ad conſequentem tomum. Ibi NICOLAUS ALEMANNUS *vir doctrina præſtans, ſuis in Hiſtoriam Arcanam præfationibus te compotem voti faciet: ſimul etiam docebit, quot, & quam graves temporis hominumque injurias Procopii Cæſarienſis libri pertulerint.* Et in monito tomi ſecundi lectorem pariter adloquens ait: *Novi, quantus vir fuerit* NICOLAUS ALE-

MAN-

MANNVS : *ampleƈtor nitorem ſtyli : notas , quas hiſtoricas appellavit , ſingulari plenas eruditione deoſculor .*

Præter hanc , de qua hucuſque diſſeruimus hiſtoria , hæc etiam alia edidit Alemannus :

Rogerii Comitis Calabriæ Donatio Eccleſiæ Melitenſi e Græco Latine reddita a Nicolao Alemanno . Hæc autem reperitur apud Vghellii Ital. ſacr. tom. I.

Carmina in columnam Pauli V. e templo Pacis in Exquilinum translatam . Hæc carmina commemorat , quaſi ea typis mandata fuerint , Ludovicus Jacob in Biblioth. Pontificia libr. 2. apud Mandoſium in Biblioth. Roman. vol.2. pag.186.

Cetera tanti viri opera , vel mss. vel etiam nondum ad umbilicum perlata , memorantur ; veluti :

De Principis Apoſtolorum ſepulcro , quam lucubrationem laudat idem Cl. Mazuchellius tom. I. pag. 265. immortalis , & nunquam ſatis commendandi Operis , quod magnis auſibus , magnoque eruditionis apparatu elucubrandum ſuſcepit , quodque nomini ſuo , totique Italiæ gloriam pariet ſempiternam . Verum unde hoc potiſſimum hauſerit , reticuit .

Opus profeƈto majus , & immenſi laboris , confecerat Alemannus noſter *De eccleſiaſticis antiquitatibus* , cujus meminit in hac ipſamet Diſ-

ſer-

ſertatione pag. 40. *Ceterum* (inquit) *in libris eccleſiaſticarum antiquitatum id fuſe probamus*. Et iterum pag. 43. *Quamobrem Ingobertus &c. a quadrato quidem inſigni, utpote proprio ſacerdotum, ut in* Eccleſiaſticis *noſtris docemus , abſtinuit* . In quo autem præcipue hoc Opus verſaretur , luculentius enarraverat pag. 36. his verbis : *Reliqua in hac tabula non minimam antiquitatis eccleſiaſticæ notitiam continent, pallia, loratæ tunicæ, veſtes litteratæ, geſticulationes digitorum , alia ; quæ cum hujus loci non tam propria, quam aliarum veterum tabularum communia videantur , ad libros , quos de eodem argumento ſcribimus , reiici nunc a nobis, æqui bonique lector conſulat*. Dolendum ſane, hoc tam præclarum Opus, quod inexhauſtum eruditionis theſaurum fuiſſe jure, & merito reputandum eſt, miſere periiſſe.

De eccleſiaſtica prælatione librum quoque conſcripſiſſe idem affirmat in hac eadem Diſſertatione pag. 45. & 50. unde, quid in eo tractarit , coniici poteſt.

Sed qui plura de Alemanno ſcire avet, adeat Jani Nicii Erithræi Pinacothecam primam n.LXX. & potiſſimum Cl. V. ſemperque cum laude nominandum Comitem Mazuchellium, auctoreſq. plurimos ab eo citatos.

Nec prætereundum arbitror nonnullas etiam animadverſiones in Anaſtaſii Sinaitæ ὁδηγὸν exaraſſe

raſſe Alemannum, eaſque ad P. Jacobum Gretſerum tranſmiſiſſe, quas ille imprimendas curavit cum ejuſdem Alemanni ad eum epiſtola, ut videre eſt in tom. XIV. Operum ipſius Gretſeri p. 446. ubi Alemannum *doctiſſimum virum* merito appellat.

Huic autem elegantiſſimæ, quam denuo typis mandari curavimus, Diſſertationi operæ pretium putavimus adiicere, quæ Cæſar Raſponus de Triclinio Leoniano ſcripſit in Hiſtoria Lateranenſis Baſilicæ, necnon, quæ doctiſſimus, & clariſſimus Joſeph Simonius Aſſemanus Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus, tot, tantiſque præclaris, & ſane laborioſis operibus a ſe conſcriptis litterario Orbi notiſſimus, ad idem argumentum conducentia collegit in libro, quem *De ſacris imaginibus* nuncupavit, & qui adhuc in ejus ſcriniis latitat; ea enim non mediocre lumen huic Diſſertationi adferre poſſunt. Qua de cauſa ab illo, ut nobiſcum communicaret, expetivimus. Ille vero, qua præditus eſt humanitate, omnia nobis libenter, & perbenigne reſeravit; quamobrem ei gratias referimus, habebimuſque ſempiternas. Vale.

DE

DE LATERANENSIBUS PARIETINIS RESTITUTIS *HISTORICA* DISSERTATIO.

CAP. I.

De Lateranenſibus parietinis aliorum opiniones.

LATERANUM, antiqua Pontificum Romanorum ſedes, eccleſiaſticis quondam fuit monumentis illuſtre, quæ paulatim vel temporum injuria collapſa ſunt, vel novis ceſſerunt ædificiis. Unum ex illis, aut alterum hodie ſupereſſe videmus Baſilicam Lateranenſem, Conſtantinianum Baptiſterium, & Sancti Laurentii Sacellum, *Laterani hodierna facies.* quod olim celebre fuit, ac etiamnum ſanctiſſimum habetur. Extant, præter hæc, parietinæ, ac rudera magnarum ædium, quæ, quum longius aream excedant, qua Sixtus V. Pontifex Maximus ſuas ædificationes in Laterano ſolo circumſcribi voluit, demolitionem quidem facile evaſerunt; quum verò nomen earum, nedum uſus, atque præſtantia paſſim apud omnes obſoleverit, ad hanc ferme diem neglectæ ſunt, penituſque incultæ jacuerunt. Minime id quidem tulit Illuſtriſſimus FRANCISCUS Cardinalis BARBERINUS, qui quum in iis rude- *Reſtauratoris ſtudium.* ribus ſepultas quodammodo videret inſignium rerum memorias, Imperij Romani in Orientem translati, indeque in Occidentem reducti, publicæque pacis Urbi, ac univerſæ Italiæ reſtitutæ; ut primum cum dignitate fuit, hoc ſui reparandæ antiquitatis eccleſiaſticæ ſtudii opus eſſe primum voluit, atque præcipuum. Quamquàm ædificiorum molem jam *Conſilium.*

fere omnino proſtratam non ex integro totam excitandam exiſtimavit, ne vetuſtatis majeſtas novitate minueretur, vel tantis derogaretur monumentis fides, & auctoritas, vel privatæ potius, ut fit, memoriæ poſteris commendandæ, quam reſtituendæ antiquitatis id ſtudium videretur. Quamobrem ædificii partem, qua ea rerum præclararum hiſtoria continetur, ab interitu vindicare ſatius eſſe duxit. Itaque de ſuo quid addiderit, in altero conſignari lapide juſſit, in altero ædificatoris, loci, uſuſque ejus notitiam ex hiſtoriarum memoriis petitam incidi, utrumque demum veritatis, ac fidei documentum omnibus extare. Neque illa ſacræ antiquitatis cura duntaxat, quæ viros eccleſiaſticos apprime decet, ad hanc eum reſtaurationem ædium induxit; ſed etiam Leonis IV. ſanctiſſimi Pontificis auctoritas, qui plenam dignitatis domum, rerumque illuſtrium, ſartam tectam poſteritati primus (1) conſervavit. De ea tamen non una omnium fuit antiquariorum opinio; a Carolo Magno Rege Francorum exædificatam alii crediderunt, alii a Leone III. Pont. Max. Hi tamen ab aliis ejuſdem Leonis ædificiis, hoc non ſatis commodè diſtinguunt; ac denique in ejus uſu declarando non æque omnes conveniunt De qua tota controverſia conſtabit, ubi de ædificiis à Leone Tertio Pontifice extructis, vel reſtauratis conſtiterit, quæ ex Anaſtaſio Bibliothecario hic recenſemus.

Fides.

Aliorum opiniones.

Ædificia â Leone III. reſtaurata.

Leo III. ſingulis Baſilicæ Lateranenſis porticibus, & Conſtantini Baptiſterio tecta induxit nova, atque magnifica. In Vaticana etiam ſancti Petri Baſilica, præter contignationem, turrim etiam, graduſque tum primi aditus, atque veſtibuli, tum partis templi dexteræ, ad priſtinum decorem revocavit. Locum inter ſacra ſacerdotibus deſtinatum, quod Presbyterium appellamus, conditum ex marmore, cælato etiam opere exornavit. Reſtituit Eccleſiam ſancti Pauli via Oſtienſi, quæ terræ inuſitato motu corruerat. Baſilicæ Liberianæ, quæ eſt *ad Præſepe*, tectum laqueavit. In altero ſancti Andreæ templo aram majorem, in altero *Cata-Barbaræ*, hoc eſt prope Barbaræ nobiliſſimæ feminæ domum, in Exquiliis, tholum, & laquearia renovavit. *Macronam* Pa-

(1) Anaſt. in Leon. IV.

Patriarchii Lateranenſis jam jam ruituram, ſubſtructionibus ſtabilivit, tectoque impoſito, parietes marmoribus conveſtivit, illuſtravitque opere teſſellato. Tecta, porticus, ornamenta refecit eccleſiarum ſanctæ Anaſtaſiæ, ſanctæ Sabinæ, ſanctorum Felicis & Adaucti, aliarumque complurium, quas Bibliothecarius quidem numerat, quod ego vero ſingillatim referam, nihil eſt; quum ædificium, de quo hic agimus, non reconcinnatum, ſed integre a Leone perfectum fuiſſe mox probaturus ſim. Quumque in Laterano id eſſe videamus, alias decimoquarto lapide, via Appia, Albæ, Oſtiæ, Præneſte, Ravennæ ab eodem factas eccleſiarum reſtaurationes licet præterire. Ergo in Laterano juxta templum Conſtantini Leo III. Triclinium ædificavit, & undecim hinc inde concameravit tribunalibus, quorum primarium opere vermiculato, reliqua coloribus variavit: inſtravit marmoribus pavimentum, cœnationes fecit, labrum in impluvio porphyreticum collocavit. Præterea ante Baſilicam Lateranenſem ad Septentriones Triclinium alterum poſuit tribus duntaxat tribunalibus diſtinctum, ſed opere, ornamentis, divitiis, totaque fabrica priore illo longe ſplendidius; nam aula perampla, marmorum incruſtationibus, porphyreticis Pariiſque columnis locupletata, ita ſuperiorum Pontificum Triclinia in Lateranenſi Patriarchio fabricata ſuperavit, ut *Magni* nomen exinde tulerit. In iiſdem Pontificum ædibus oratorium erexit, quod emblemate, & pictura decoravit, ac vaſis ex argento, & auro, pretioſaque ſuppellectile auxit. Non piget alia Leonis ædificia recenſere, quæ licet in campo Laterano ab illo poſita non ſint, ad ea tamen explicanda, & quæ dicturi ſumus comprobanda, plurimum conferunt. Ad ſancti Petri in Vaticano Triclinium fecit Lateranenſi illi perſimile. Ejuſdemque Baſilicæ parte dextera xenodochium cum cœnatione, & balneis condidit, peregrinorum, qui eo adventarent, publicæ commoditati. Balneas alias ibidem exſtruxit juxta *columnam majorem*. In ora Vaticani collis extrema, ubi naumachia fuit, ad portam ſuburbanam, quam *Angelicam* nuncupamus, præter ampliſſimum noſocomium, ſancti Petri titulo dedicavit eccleſiam. Cœnobium, & Baſilicam ſancti Stephani primi martyris locavit in Gallæ Patriciæ ſolo,

Ædes conſtructæ in Laterano.

In Vaticano & alibi.

unde ea ſtructura *Cata-Gallæ* nomen accepit. Templum ſanctæ Suſannæ ad thermas Diocletianas, quod majores *inter duas domos* dixere, vetuſtate labefactatum omnino demolitus eſt, jactiſque rurſus amplioribus fundamentis, novum, atque magnificentius excitavit. Denique ſanctorum Nerei, & Achillei ædem, veteri dejecta, ſublimiore loco collocavit, ne humiliore, in quo antea ſubſidebat, vicinarum obrueretur aquarum colluvie. In hoc Leonis ædificiorum indiculo licet illud ipſum, de quo quærimus, habeatur, operæ pretium tamen eſt, id apertius, certiſque rationibus indicare. Imo verò cum a nonnullis hæc ipſa domus Carolo Magno conditori adſcribatur, iſtorum primum videre rationes, & quantum quæque valeat, erit operæ haud inanis.

CAP. II.

An Carolus Magnus hujus fuerit autor ædificii.

Caroli M. ſacra ædificia.

OBſcura minime ſunt, quamquam enumerari facile non poſſunt, eccleſiaſtica monumenta, quæ ubique terrarum exædificavit Carolus Imperator Pipini Regis filius. Hanc ejus in Deum, ac ſacerdotes pietatem, vel unica illa teſtatur Baſilica, quam Aquiſgrani Deiparæ Virgini, *opere*, ut (1) Eginhartus ait, *mirabili* conſtruxit; ad quam exornandam non illi ſatis fuerunt ſuæ ditionis provinciarum divitiæ, ſed ex longinquis terrarum Orbis partibus ornamenta conquiſivit; columnas, marmora, coloratasque teſſellas magnis ſumptibus, atque labore Roma, Ravennaque, (2) Adriani Pontificis permiſſu, convexit. In Italia cum alibi, tum Bononiæ, atque Florentiæ ſacrorum ejus ædificiorum ſuppetunt memoriæ. Romæ nulla veſtigia vidimus, vel a quoquam prodita fuiſſe legimus. Semel, iterum, ac tertio votorum ſolvendorum, ac ſupplicandi gratia Romam ille profectus eſt, & e veſtigio inde receſſit; quarto cum Leoni vindicandæ dignitatis cauſa veniſſet, in Urbe totam exegit hyemem, quo eum tempore nihil ædificii molitum fuiſſe conſtat. Si quid vero

An ejus aliquod Romæ.

(1) Egin. in vit. Car. (2) Adrian. ep. 12.

vero cogitaſſet, non Laterani, non Oſtienſi via (1) nam de Cœnobio inibi conſtruendo, non Carolus, ſed Adrianus Pontifex ea mente fuerat) non in agro Verano, vel Seſſoriano, ubi Conſtantinus, & alii retro Principes, ſed in Vaticano ſuas Carolum ædificationes collocaturum fuiſſe res ipſa docet, ac Principis ingenium. *Nam colebat præ cæteris ſacris, & venerabilibus locis apud Romam*, inquit (2) Eginhartus, *eccleſiam beati Petri Apoſtoli, in cujus donaria magna vis pecuniæ tam auri, quam argenti, nec non & gemmarum ab illo congeſta eſt: multa & innumera Pontificibus munera miſſa: nec ille toto regni ſui tempore quicquam duxit antiquius, quam ut urbs Roma ſua opera, ſuoque labore veteri polleret auctoritate; & eccleſia ſancti Petri non ſolum per illum tuta, ac defenſa, ſed etiam ſuis opibus, præ omnibus eccleſiis, eſſet ornata, ac ditata*. Opes quidem ingentes haud dubie Romam miſit, ac detulit, ex quibus paucarum, ſed auguſtiorum memoria ſupereſt in hiſtoriis; (3) tabulæ ſcilicet ex argento, præcipuæ magnitudinis, ac ponderis, quæ *deſcriptionem urbis Conſtantinopolitanæ* continebat, eam ex teſtamento Baſilicæ Vaticanæ legavit; & (4) Crucis ex auro puriſſimo gemmis ornatæ, quam in Lateranenſi eccleſia Leoni III. Pontifici obtulit, ac in ſolemnibus litaniarum pompis ſummis tantummodo Pontificibus præferri voluit. Infinita hujuſmodi donaria Romæ Carolum reliquiſſe ſcimus, ædificium vero ne unum quidem. Quamobrem jure quis (5) Angelum Maſſarellum Theleſinum epiſcopum, & (6) Alphonſum Ciacconum viros alioqui ſtudioſos eccleſiaſticæ antiquitatis miretur, qui ædes haſce, de quibus diſputamus, Caroli Magni aulam crediderunt, eamque aliorum quoque ſententiam eſſe Ciacconus affirmavit. Quibus autem rationibus in illam ſententiam venerint, ego certe non video, niſi quod in ædium apſide Caroli effigies coloratis lapillis depicta ſit, nomenque in inſcriptione legatur. At ibidem Leonis quoque Pontificis nomen vultuſque conſpicitur; uter ergo alte-

An hæc aula Caroli Magni.

(1) Apud Alcuin. epiſt. 83.
(2) Egin. ibid.
(3) Carol. in Teſtam.
(4) Anaſt. in Leone III.
(5) Maſſ. in Adverſ.
(6) Anaſt. In Leon. III.

alterum depinxerit, ædificiumque poſuerit, æque dubium eſt, ſi hanc rationem ſequamur. Imo ſi vel hanc ſequamur rationem, nullo negotio conditori ædificium certo vindicabimus. Inſcriptio enim, quæ niſi curioſis oculis perſpici pridem nequibat, utpote quæ ſublimi, vicinaque contignatione collapſa, ab ima ruinarum congerie, non apta diſtantia ad hanc diem legebatur, ita ſe habet:

SANCTISSIMUS
D. N. LEO. PP
D. N. CARVLO. REGI

Pontificum, & Principum imagines.

Quis ergo, cui fecerit, videt nimirum qui legit. Accedit eo, quod eccleſiaſticæ rei antiquariæ periti norunt, conſueſſe Romanos Pontifices quando Baſilicarum ædificationes, aut refectiones curarent, cum ſuis æqualium etiam Imperatorum, Regumque imagines in tribunalibus Eccleſiarum una collocare. Leonis IV. ſuccurrit exemplum apud (1) Anaſtaſium Bibliothecarium: *Petri quoque, Paulique pariter vultus, atque Andreæ in prænominatis tabulis ſimiliter ſplendent, atque coruſcant; inter quos ſanctiſſimi Quarti Leonis præſulis, necnon & ſpecialis filii ſui Domini Imperatoris Lotharii, propter futuram memoriam, ſive mercedem, perſonæ Deo caræ, per cuncta ſæcula venerandæ, depictæ ſunt.* Idem plane hoc in ædificio Leonem III. feciſſe nemo non videt; idemque ab illo ſæpe factitatum probare poſſemus, ſi ejuſdem monumenta, vel pars aliqua ſuppeteret eorum, quæ paulo ante numeravimus. Quippe, annos ab hinc fermè triginta, in eccleſia ſanctæ Suſannæ ad thermas Diocletianas vidimus in emblemate vermiculato haſce Leonis, Carolique imagines, Lateranenſibus illis, vultu, habitu, coloribus plane ſimillimas.

Cæterum quis neſciat, a Leone III. Pontifice, non a Carolo Magno, ſanctæ Suſannæ templum in hanc, quam hodie videmus, ædificii amplitudinem redactum fuiſſe, ac tum etiam opere teſſellato diſtinctum? *Ipſe vero præcipuus Pontifex,* inquit (2) Anaſtaſius, *in titulo ſanctæ Suſannæ, ubi & presbyter or-*

(1) Idem in Leon. III. (2) Idem in Leon. III.


Tab. I, pag. 7.

ter ordinatus fuerat, dum breviter deſtructus fuiſſet, & jam per longitana tempora ipſæ parietinæ marcuiſſent, ob nimium amorem, ampliavit ædificium, & noviter in altum fodiens firmiſſimum poſuit fundamentum, & eruta planitie mirifice excelſa ſuper ipſa fundamenta ædificavit eccleſiam cum apſida ampliſſima, & cacumina mirifica de muſivo, atque cameram decoratam, ſeu presbyterium, & pavimentum marmoribus pulchris ornavit. Verum etiam dextra, levaque, & porticas ejus cum columnis marmoreis conſtruxit: Cacumina, inquit Anaſtaſius, *mirifica de muſivo*; nam imagines ſingulæ (novem eæ omnes erant) ſingulis in collibus eminebant, ut in hac tabella duas illas, quæ ad rem faciunt, repræſentavi. Denique inſcriptio, quæ in eadem Eccleſia legebatur, Leonem III. profert autorem: Tab: 1.

DVDVM . HÆC . BEATÆ . SVSANNÆ . MART . AVLA
COANGVSTO.ET.TETRO.EXISTENS.LOCO.MARCVERAT
QVAM.DOMINVS. LEO.PP.III.A.FVNDAMENTIS ERIGENS
ET . CONDENS . CORPVS . BEATÆ . FELICITATIS . MART
COMPTE . ÆDIFICANS . ORNAVIT . ATQ. DEDICAVIT

In ea, quam hic propoſuimus, tabula Leo Pontifex ob Caroli Regis in ſe merita, mutuamque benevolentiam, effigiem ejus exprimendam curaſſe videtur; in Lateranenſi autem ædificio cauſam quamobrem id fecerit, quæ longe gravior eſt, ſtatim exponemus, ubi prius eaſdem illas ædes Leonem III. paraſſe probaverimus.

C A P. III.

Ædificii hujus autor Leo III. Pontifex.

QUod hiſce verbis teſtatur (1) Anaſtaſius Bibliothecarius: *Fecit Leo in patriarchio Lateranenſi triclinium majus ſuper omnia triclinia, nominis ſui magnitudine decoratum, ponens in eo fundamenta firmiſſima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis ſtravit. Et diverſis colu-*

Leoniani Triclinii deſcriptio.

(1) Idem in Leon. III.

columnis tam porphyreticis, quamque albis, & ſculptis cum vaſis, & liliis ſimul poſitis decoravit. Cameram cum apſida de muſivo, & alias duas apſidas, diverſas hiſtorias pingens, marmorum incruſtatione pariter in circuitu decoravit. Quam deſcriptionem, ſi cum ſingulis, quæ quidem ſuperſunt, ædificii hujus partibus commiſeris, nullus relinquetur de autore dubitandi locus. Ex *tribus* etenim illis *apſidibus*, primariam teſſera verſicolore etiam num nitere videmus; alterius, ad lævam, integrum apparet loculamentum; tertiæ, dextrorſum, non niſi veſtigia. *Picturas* ex coloribus, qui ultimus ibidem contemplatus fuit, Onuphrius eſt Panvinius (1). *Muſivo* autem *decoratur & Camera*, ut Anaſtaſius ait, hoc eſt, pars tribunalis interior teſtudinata; *& Apſis*, exterior illa videlicet, quæ ad utroſque hinc inde parietes pertingit æqua, & plana. *Fundamenta* illa *firmiſſima* Pœnitentiarii Lateranenſes olerum ſeminariis, hortoque penitus obruerunt; ea porro jacta olim ſub publicæ viæ ſolum, ut inferior pars ædium oſtendit; cujus columnæ ruinarum ruderibus conſepultæ, cubitis vix hodie duobus extant è pavimento. Columnæ Pariæ ſunt, quas Anaſtaſius *albas* appellavit, *porphyreticæ* illæ, & *marmora* nunc deſiderantur, quæ more ſuo *in exemplis* dixit, hoc eſt *exemplata*, diverſarum ſcilicet rerum imaginibus cælato opere diſtincta. Ait denique *nominis ſui magnitudine decoratam*. Quod Leonis vocabulum jam tum ædificium tulerit, quodque ibidem loco conſpicuo, ut etiam num cernitur, in apſidis culmine Leonis nomen fuerit inſcriptum. Namque præter conſuetudinem non eſt, veterum Pontificum, ædificiis a ſe excitatis, titulos indere, quum hodieque legamus monogrammata Adriani Primi. In Viminali ad ſanctæ Pudentianæ: Paſchalis Primi trans Tyberim in eccleſia ſanctæ Cæciliæ: & in æde ſanctæ Praxedis in Exquiliis. Nicolai Primi ad amphiteatrum Veſpaſiani in Baſilica ſancti Clementis. Quin etiam in Chriſti Domini monogrammate à Pontificibus ſua nonnunquam inſerta ſunt nomina, ut in Baſilicæ Liberianæ arcu majore a Xyſto III. reſtaurato, atque his litteris inſignito, quæ identidem *Chriſti*, & *Xyſti Papæ* nomen referunt

Deſcriptionis, & parietinarum comparatio

Tab. 11. n. 1. 2. 3.

(1) Prov. de ſept. Eccleſ.

ab. II. pag. 8. et 9.



B me-

(1) In Leon. III.

ſignito, quæ identidem *Chriſti*, & *Xyſti Papæ* nomen refe-
runt

( ) Panv. de ſept. Eccleſ.

runt. Id Leo III. imitatus in faſtigio tribunalis hanc coronidem, *Chriſti* ſcilicet, & *Leonis Papæ* nomen impoſuit. Quo quidem ſignificare piiſſimi Pontifices voluerunt, eas ſtructuras a ſe quidem, ſed Chriſti cum primis ope, ac ad ejus nominis gloriam factas fuiſſe; quod idem Cruce nomini ſic appoſita denotatum eſt in eccleſia ſanctorum Nerei, & Achillei ab eodem Leone III. quem (1) Alphonſus Ciacconius IV. fuiſſe perperam opinatur. Nam Anaſtaſius in Leone III. *Hic a Deo inſpiratus venerabilis, & præclarus Pontifex*, inquit, *conſpiciens eccleſiam beatorum martyrum Nerei, & Achillei præ nimia jam vetuſtate deficere, atque aquarum inundantia repleri, juxta eandem eccleſiam noviter a fundamentis, in loco ſuperiore, eccleſiam conſtruxit miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratam*. Illius templi conditor, tametſi eccleſiaſticæ patrem hiſtoriæ Cæſarem Baronium ejus Tituli Cardinalem non latuit, ut lapis ab eodem poſitus indicat; latuiſſe tamen videtur, hanc, quæ modo ſupereſt, non eam eſſe ſanctorum Nerei, & Achillei baſilicam, in qua Gregorius Magnus, ut in eodem inſcribitur lapide, homiliam habuerit; quum illud templum, Anaſtaſio teſte, liquido pateat humiliore ſitum loco fuiſſe, cujus, poſt Leonis III. reſtaurationem, ne veſtigia quidem appareant. Hæc de Pontificum Titulis dum ſcribo, in æde ſanctorum quatuor Coronatorum, haud longe a Laterano, ſacræ martyrum effodiuntur memoriæ, & Leonis IV. olim reſtauratoris hæc inſcriptio:

✠ EGO . LEO . FECI . ✠

pietate, qua fecerit, geminato chriſtianæ ſalutis ſigno declaravit. At ſi quis in loculo illo plumbeo litterarum ſimplicitatem contempletur, apices nimirum nulla extantes, aut inciſos arte, nulla artificum induſtria fuſos, aut cælatos; ſed inelegantes, rudes, rudique ſtilo exaratos, videbit plane in iis ſanctiſſimi Pontificis non tam vacillantem ſenio manum, quam demiſſum modeſtia animum, nullam in titulo gloriam captantem, ſed facti tantummodo fidem poſteris,

B me-

(1) In Leon. III.

memoriamque commendantem. Quam antiquam, vereque chriſtianam probitatem exprimit eo digniore imitatione Illuſtriſſimus Joannes Garſia Cardinalis Millinus, quo in reſtaurandis eorumdem martyrum monumentis ejus oſtenditur profuſior largitas, atque ſine glorioſa oſtentatione munificentia. Cæterum illud Lateranenſe ædificium, ex quo huc defleximus, a Leone III. fuiſſe conſtructum, non ſolum Anaſtaſii aſſeveratione, comparatione ſtructuræ, ejuſque partium, ac denique tituli, nominiſque inſcriptione demonſtratur; verum etiam Leonis IV. teſtimonio, qui præceſſoris ſui adeo fuit nomini, geſtiſque ab eo rebus addictus, ut ſingulas illius ædificationes, quæ vitium feciſſent, vel aliqua eſſent ex parte labefactatæ, ſumma diligentia reconcinnaverit. Verum de aliis diſſerere nihil intereſt, de hujus modo ædificii reparatione Anaſtaſius Bibliothecarius: *Accubitum, quod Dominus Leo bonæ memoriæ tertius Papa a fundamentis conſtruxerat, & omnia ornamenta, quæ ibi paraverat, præ nimia vetuſtate, & oblivione anteceſſorum Pontificum deleta erant* &c *idem beatiſſimus & ſummus Præſul Leo IV. cum gaudio. & nimia delectatione omnia ornamenta, ſive alimenta, quæ inde deleta fuerant, noviter reparavit, & ad uſum priſtinum magnifice revocavit.* Denique illa Caroli Regis Francorum imago, quæ hoc in ædificio viſitur, comprobare id luculentiſſime videtur. Quippe quum ex inſcripto titulo Leoni cuipiam conditori domus tribuenda ſit, eamque primo, vel ſecundo Leoni nequeamus adſcribere, quod illorum Carolique ætas id minime ferat; neque rurſus, ædificium, quod a Leone IV. conſtat eſſe redintegratum, Leoni V. aliiſque deinceps tanquam autoribus tribui poſſit; reliquum eſt, ut a Leone III. factum minime dubitemus. Is vero, quod & hiſtoria docet, & emblema illud præ ſe fert, ope Caroli Magni in ſuæ dignitatis gradum reſtitutus, mutuam Carolo gratiam retulit Romanum Imperium.

Triclinium Leone III. a Leone V. reparatum.

CAP.

C A P. I V.

Ædificii hujus nomina , & uſus .

QUamobrem ab ædificatore , locique amplitudine apud nonnullos hæc domus *aula Leoniana* nomen invenit. Verum Anaſtaſius Bibliothecarius modo *Triclinium* , modo *accubitum* , ut vidimus , appellavit . In antiquis autem bibliothecæ Vaticanæ libris ritualibus , ante annos ferme ſexcentos , a Benedicto Politico , deinde a Cencio Camerario *baſilica Leoniana* nuncupata eſt. Non deerit ob id fortaſſe, qui credat , ea nominum varietate , non unum idemque ædificium , ſed plane diverſa notari , præſertim quum hoc , non tam Triclinium fuiſſe , quam ædem ſacris peragendis conſtitutam , nomen , apſides , ſacræque ejus imagines probare videantur . Verum hæc quominus apte Triclinio quadrent , nihil omnino prohibet . Non quidem *baſilicæ* vox : cum baſilicam , teſte Servio , cœnationem dici notum ſit ; cœnatio vero eſt Triclinium ; quod etiamſi (1) Servius falſo neget , aſſerunt tamen Fabius Quintilianus , Valerius Maximus , Svetonius Tranquillus , (2) & Marcus Vitruvius quum de Triclinii conformatione agit , quæ a baſilica fere non diſtat , quippe quum in his (3) *quanta latitudo fuerit , bis tanta longitudo fieri debeat* . Accedit , quod apud Chriſtianos quæcunque paulo major , honeſtiorque domus dici baſilica conſuevit . In ſylvanis etiam monachorum caſis , atque cœnobiorum ædificatiunculis , ſi qua reliquis eſſet amplior janua , eam βασιλικὴν , *baſilicam* , ſive *regiam* , cum ab aliis , tum a (4) Sophronio vocatam invenies . Neque prohibent *apſides* ; quo etenim capaciora parabantur Triclinia , eo magis abundabant tribunalibus . Sane imperiale fuit illud Byzantii , quod per quandam excellentiam *Tribunal* dictum eſt; in eo *novendecim accubita* , hoc eſt , *apſides* fuiſſe , ſanctus Nicephorus (5) Conſtantinopolitanus patriarcha teſtatur , unde τῶν δέκα ἐννέα ἀκκουβίτων nomen accepit ; cœnas ibi publicas (quas

Triclinium Baſilica dicitur :

Tricliniorum Apſides .

B 2 demum

(1) ad lib. 5. Aen.
(2) lib. 6. cap. 5.
(3) Vitr. ib.
(4) in Vit. M. Aegypt.
(5) in hiſtor.

demum Juſtinianus, ut eſt apud (1) Theophanem, ſuſtulit) ſenatui, populoque Cæſares dabant. Hormiſdæ Auguſtalis domus Triclinium, ubi Severiani, & catholici præſules diſputaturi ſub Juſtiniano convenerunt, ab apſidum numero ἑπτάκογχον *ſepticonchum* vocavit Innocentius (2) Maronianus. Quod enim in morem concharum curvatum, ſinuatumque eſſet, *concham* dixere veteres Græci, & Latini; quare (3) Paulinus Nolanus antiſtes: *Totum vero*, inquit, *extra concham baſilicæ ſpatium alto, & lacunato culmine geminis utrinque porticibus dilatatur*. Omnia denique priſcorum Pontificum Triclinia conchata, certiſque partibus concamerata, & loculamentis diſtincta fuiſſe Anaſtaſius perhibet. Neque *imagines* denique prohibent; nam quod de iis obiicitur, minus offendere animum debet, quum noſtrorum ea modeſtia fuerit, & probitas Majorum, ut ſingulis in locis extare monumenta vellent, quibus pietas excitaretur; & in Tricliniis non magis ore alimenta vitæ, quam auribus, oculiſque pietatem hauriendam curarent e piis acroamatis, atque pictura. Id ſane *ſpectavit* Zacharias Pontifex, qui ſuo in Triclinio, ut (4) Anaſtaſius prodit, Orbis terrarum univerſi deſcriptionem ſibi, poſterioribuſque Pontificibus delineaverat; ſe enim illoſque monere officii voluit, ſive alibi, ſive ſuper menſam, & inter pocula, deponendam Romanis Pontificibus non eſſe illam, quæ eos tangit, omnium Eccleſiarum ſolicitudinem. Hujus vero Leonianæ cœnationis imagines, quod facere ad rem maxime videtur, Chriſtum referunt undecim diſcipulis in cœnaculo præſentem, & coram diſſerentem: quo, quid Leo innuerit, opportuno loco dicemus; præſtat enim ex antiquis Scriptoribus, quis hujus fuerit uſus Triclinii, prius audire. Apparare publice convivia certis celebrioribuſque anni diebus, mos eſt Chriſtianorum vetus, ſanctorum virorum exemplo, & divinarum teſtimonio litterarum approbatus. Sed ea principio quidem ab eccleſiis, ac templorum porticibus (ubi aliquando cœnatum fuit) ſubmovit Chriſtiana moderatio; certa deinde iis attribuit loca, in quibus decentius inſtruerentur: idque curavit non

Tricliniorum imagines.

Publicorum uſus Tricliniorum.

(1) in Chron.
(2) in Epiſt. ad Them.
(3) In Epiſt. ad Sev.
(4) in Zach.

non modo graviſſimus eccleſiaſticorum ordo, ſed etiam laicorum. Reges namque, & Imperatores convivia egerunt publica præcipuis Chriſti Domini feſtivitatibus, quas (1) Georgius enumerat Curopalates, in Tricliniis ſuperbiſſime ædificatis ornatiſque: in iis fuit *tribunal novendecim accubitorum*, de quo paulo ante memoravi: & laudatiſſimum illud Juſtini Cæſaris, a magnifico & plane regio apparatu (2) χρυσουν, *aureum* appellatum. Modeſtiſſime id fecerunt Romani Pontifices; a quibus ſubinde in patriarchio Lateranenſi Triclinia extructa ſunt, numero quidem plura, ſed magnitudine pro convivarum frequentia, ornatu vero, qui eccleſiaſticis apprime conveniret; conveniret autem etiam Principibus viris, Regibus, & Imperatoribus, quibus in Urbem religionis, & votorum ergo confluentibus cœnas dabant Pontifices. In hanc præcipue rem Leo III. diligentiam videtur contuliſſe, ut honeſtius curaret Triclinium, quam Theodorus Primus, & Zacharias Pontifices jam olim curaviſſent; quippe anguſtiores fuiſſe illas eorum cœnatiunculas, quam pro Imperatorum dignitate, minime dubium eſt; quum earum comparatione, *majus ſuper omnia Triclinia* Leonianum hoc celebret, prædicetque Bibliothecarius. Nimirum ob eam ædificii capacitatem excipiendis Regibus deſtinati, ætate Jacobi Stephaneſchi, ut mox dicam, *Regia* nuncupari cœpit cœnaculum Leonianum. Cum igitur Imperatoribus convivio accipiendis hoc Leo Triclinium deſignaviſſet, ſummo ejus loco, atque conſpicuo, Imperii utramque tranſlationem depinxit, de qua ſtatim, prout locus hic poſtulat, differemus. Clerus vero, clerique optimates hic convivari cum Pontificibus ſolebant natali Chriſti Domini die. Verumtamen eo anni tempore Triclinium Boreali patens, atque apertum regionis vis frigorum, hjemiſque fecit oppido incommodum. Qui ergo paulo poſt Leonem III. fuere Pontifices, Gregorius IV. Sergiuſque II. ut Bibliothecarius (3) exponit, *in die natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem ibidem minime epulabantur*. Fortaſſe neque paſchatis die, de quo modo narrabimus, quando nec dum frigorum moleſtiæ penitus ſedatæ, Pontificibus ætate gra-

Triclinia Pontificum

Triclinium Regibus excipiendis.

Idem Eccleſiaſticis accipiendis.

Triclinii Leoniani ſolitudo.

(1) De off. Pal. C. P.
(2) Aut. Antiq. C. P.
(3) in Sergio II.

gravioribus videri poterant . Commodiori proinde loco poſitum a Gregorio IV. cœnaculum facile mihi perſuadeo; niſi omnino ſupervacaneum fuiſſe, nullumque habuiſſe uſum credere velimus, quod ab illo paucis poſt Leonianum annis extructum idem (1) auctor teſtatur: *Verum etiam fecit Gregorius in patriarchio Lateranenſi Triclinium miræ magnitudinis decoratum cum apſida de muſivo; ſed & alias apſidas duas dextra, lævaque poſitas infra paracellarium, variis hiſtoriis depictas*. Si infra *paracellarium* Gregoriana cœnatio ſita fuit, commodiori haud dubie loco fuit; cum patriarchii diverſis hinc inde circumſepta ædibus, & quaſi confota, hibernis aptior eſſe poſſet conviviis. Siquidem *paracellarium* adeo reconditum in patriarchii penetralibus fuit, ut *deſcenſum*, inquit (2) Anaſtaſius, *qui paracellarium reſpicit, per quem antea homines, velut in nocte, aſcendebant, & deſcendebant, ita noviter reformarit Gregorius, ut nulla inde tranſeuntes obſcuritas, ut ante, valeret præpedire*. Et ſubdit: *Alia nova adjecit*, nempe Triclinium, *in quibus tres caminatas fieri juſſit*, ad frigoris nimirum vim depellendam; qua plane commoditate caruit Leonis hiemale Triclinium. Denique quam temperatior hiberno tempore illa Triclinii, atque *paracellarii* ſedes fuerit, *balnei* vicinitas declarat. *Renovavit imo*, inquit, *& balneum, quod juxta paracellarium ſitum eſt*. Quapropter, quo ad hoc attinet, quum longe opportunius Gregorii, quam Leonis cœnaculum fuerit, viginti totis annis, quibus Gregorii, atque Sergii Pontificatus fere computantur, ſumma Leoniani Triclinii extitit infrequentia. Eaque de cauſa, quod ædibus diutius habitatorum aſſiduitate deſtitutis evenit, & credere par eſt, vitium fecit; nam *omnia ornamenta*, inquit (3) Anaſtaſius,
Vitium. *quæ ibi Domnus Leo bonæ memoriæ Tertius paraverat, præ nimia vetuſtate, & oblivione anteceſſorum Pontificum, deleta ſunt*. Deleta autem erant Leone IV. Pontifice, hoc eſt anno, ab ædificato Triclinio, ſexageſimo; quo tempore ſi quis ædificii bene materiati (ut quidem Leonianum hoc fuiſſe teſtatur Anaſtaſius) ætatem metiatur, plane videbit, eam non tam
Reſtitutio. ætatis, quam ſolitudinis, incuriæque fuiſſe labem. Reſtituta ergo

(1) in Greg.
(2) Ibidem.
(3) in Leon. IV.

ergo ſunt a Leone IV. non ſolum hujus Triclinii *ornamenta* , ſed etiam *alimenta* , uſus ſcilicet ille conviviorum antiquus die Chriſti Domini natalitio, e Gregoriano Triclinio huc iterum revocatus . *Iſdem vero* , ait Anaſtaſius , *beatiſſimus* , *&* *ſummus præſul Leo IV. cum gaudio* , *& nimia delectatione omnia ornamenta* , *ſive alimenta* , *quæ inde delata fuerant* , *noviter reparavit* , *& ad uſum priſtinum magnifice revocavit* . Eodem hoc in cœnaculo paſchatis primo , alteroque die prandere ſolitos Pontifices accepimus . Primo quidem ita parabatur menſa , ut more Chriſti conſueto , in lectis tricliniaribus convivæ recumberent *thoris accubitati* ((1) Sugerius ait) *agnum materialem ſumunt* . Pontifici lectus ſternebatur ſub tribunali , nempe ſummo Triclinii loco , cui ob id nomen *cubitorio* fuit ; hinc inde ad utramque apſidem diſcumbebant Cardinales ad prandium vocati . Rem totam ex (2) Benedicti Politici , & (3) Cencii Camerarii ritualibus libris referre præſtat : *Porro autem in baſilica magna Leoniana* , *ubi hoc die in mane Domnus Papa comedit* , *circa menſam Pontificis præparata ſunt undecim ſcamna pro quinque presbyteris totidemque diaconis Cardinalibus*, *& primicerio* . *Ibi etiam lectus ipſius Pontificis ſolemniter eſt præparatus in figura undecim Apoſtolorum recumbentium circa menſam Chriſti* . *Tranſiens autem Pontifex per ipſam baſilicam intrat cameram ſuam* , *ubi in ſcypho argenteo recepto a camerario presbyterio* , *eoque* , *ſicut in Nativitate Domini* , *erogato* , *ſurgit & ducitur a magiſtro ſeneſchalco* , *& pincerna ad locum* , *qui dicitur Cubitorium* . Ex quibus , præter alia , illud quoque intelligimus , hoc Leonis Triclinium pro veſtibulo fere fuiſſe pontificii cubiculi , & ex altero paratum commodumque aditum in alterum patuiſſe , & ex Triclinio in Lateranenſem eccleſiam ; quod , tum quæ infra dicemus , comprobant , tum ille Camerarii locus de ſecundæ diei paſchatis convivio: *Deinde Pontifex* , inquit , *ducitur* , *ſicut heſterna die* , *ad convivium*, *quod etiam hodie in baſilica Leoniana* , *quæ eſt juxta cameram celebratur* , *finitoque convivio deſcendit ad eccleſiam Lateranenſem*. Qua denique die Pontifex coronam , & infulas accipiebat , publicum ibidem exhibere primioribus epulum conſueverat . Nam

Uſus ſtatis anni tempo tibus.

Situs.

(1) in vita Ludovic. Craſſi .
(2) in Polit.
(3) libr. 2.

Nam (1) Autor Innocentii III. æqualis, qui ejus vitam litteris commendavit: *Facta*, inquit, *laude ante Lateranenſe palatium, poſtquam aſcendit in domum majorem, quæ Leoniana vocatur, ſolemne convivium celebravit*. Et de Bonifacio VIII. Jacobus Cardinalis (2) Stephaneſcus:

Exurgenſque iterum modicam, paucamque per horam
Diſcubuit thalamo Princeps, qua Regia ſeſe
Protendit, magnique duces, totuſque ſenatus,
Et Reges, proceresſque aliis diſcumbere menſis;
Quique ſuo ſedere loco: fulgebat ab auro
Tota domus.

Jure Leonianum Triclinium *Regiam* appellavit, etſi enim ad *baſilicæ* nomen, quo reliqua etiam patriarchii Lateranenſis Triclinia vocata ſunt, alludere videtur; tamen ob amplitudinem, dignitatem, pulchritudinemque peculiari quadam ratione illud nomen obtinuit. Quandoquidem Theodori, & Zachariæ cœnacula humili, & ſane plebejo vocabulo *panetariæ*, teſte Cencio, dicta fuere; atque in iis cœnare Pontifices conſueverant ſacro cœnæ Domini die, quando non tam publica lætitia, quæ nulla tunc eſſe ſolet, quam rituum eccleſiaſticorum ordo poſtulare id videbatur.

Leonis, & aliorum Tricliniorum differentia.

C A P. V.

Alterum ejuſdem ædificii nomen, aliique uſus.

SEcundum Leoniani cœnaculi nomen eſt *Baſilica*; quo nomine omnes patriarchii Lateranenſis ædes cenſebantur, in quibus aliquid ſolemnium religionum, eccleſiaſticarumque cæremoniarum exerceretur, ob idque *Eccleſiæ* appellatio tributa illis nonnunquam videtur. Eæ porro complures in Patriarchio fuerunt: *Baſilica ſancti Laurentii*, (3) in qua, velut in domeſtico ſacrario, Reliquias ſacras Pontifices recondidere, ut in publicis ſupplicationibus eſſent ad manus, atque paratæ. (4) Deſignatorum epiſcoporum eadem fuit veluti palæ-

Patriarchij Lateranen. Baſilicæ.

(1) in Vit. Innoc. III.
(2) in libr. de Coron. Boniſ.
(3) Cenc. Cam. in Rit.
(4) Idem ibid.

palæſtra, in qua eorum ſcientiæ, morum probitatis, regendique peritiæ, antequam ſacris initiarentur, publice fiebat experimentum. *Baſilica ſancti Gregorii* veſtiarium fuit, quam hodie *Cameram* vocant *paramentorum*; (1) in ea Cardinales, & reliqui Antiſtites, qui inter religiones Pontificibus præſto erant, ſacra ſumebant indumenta. Ex *Baſilica ſancti Sylveſtri* Pontifices, omniſque ordo Eccleſiaſticorum procerum, Sanctorum reliquias (2) primum venerati, ſolemni pompa ad ſupplicationes prodibant. Hæc vero ſancti Sylveſtri non modo *Baſilica*, ob eos, quos dixi ritus, ſed etiam *Eccleſia* nuncupatur a Cencio Camerario. Peculiari hac ergo ratione Leonianum Triclinium *Baſilica* nominatum eſt, quod die, qua Palmaria celebramus (ea eſt Dominica *in ramis palmarum*) in Leonis Triclinium Pontifex, univerſuſque Eccleſiaſticorum Senatus ſacris indutus veſtibus conveniebat, & ramos in Baſilica ſancti Sylveſtri primum omnium ab acoluthis paratos, & a quopiam deinde ex Cardinalium ordine, ſolemni ritu, & precatione, more majorum, ſacratos Pontifex ſingulis diſtribuebat, pompamque ſupplicem Cleri, ordinumque omnium inde duci jubebat. E Leoniana Baſilica ſiniſtrorſum per ſcalas Patriarchii in porticum deſcendebatur Lateranenſis Eccleſiæ, indeque pergebatur in presbyterium ad ſacra ejus diei peragenda: *Palmæ*, inquit (3) Benedictus Politicus, *ab acoluthis collectæ ſunt in Baſilica ſancti Sylveſtri, unus de Cardinalibus eas in Baſilica ſancti Laurentii in Palatio benedicit, quas oſtiarii portant in Baſilicam Leonianam ad Pontificem. Indutis omnibus ordinibus Palatii, Pontifex expendit palmas, poſtea exeunt inde cum proceſſione &c.* Tandem in Baſilicis cauſas agitari, jus a Magiſtratu dici, negotia publica privataque pertractari ſolita, ob idque in Baſilicis ſummo loco apſidas ſinuatas, ideſt tribunalia, Principibus, ac Magiſtratui conſtituta nemo neſcit. Cæterum (4) litteris proditum eſt in hac Leoniana Baſilica contra Johannem Archiepiſcopum Ravennatem in jus olim adductum, frequenti Epiſcoporum, Cardinalium, atque optimatum conſenſu,

Leonis triclinium cur Baſilica.

Altera ejuſdem appellationis cauſa.

(1) Idem ibid.
(2) Idem ibid.
(3) In Polit. Rit.
(4) Anaſtaſius in Nicolao I.

ſenſu, Nicolaum I. Pontificem ſententiam tuliſſe (1). Eadem etiam in Baſilica Rhothadi Sueſſonum Epiſcopi cauſam ab eodem Nicolao cognitam legimus; quare hunc locum agendis negotiis, publicoque Senatui cogendo, quem hodie *conſiſtorium* appellant, a Leone III. & ſucceſſoribus deſtinatum dicere minime ego quidem dubitaverim. Siquidem Leo poſt ſuum e Germania reditum, hujus Triclinii minime abſolutis licet ornamentis, ut infra probabo, in eo tamen frequentes habuit conventus de ſua, & ſicariorum controverſia: *Cum multo gaudio, & lætitia,* inquit Anaſtaſius (2), *in Patriarchium Lateranenſe Leo introivit: & poſt aliquantos dies, fideliſſimis Miſſis, qui cum eo venerunt in Pontificale obſequium, videlicet Hildivaldo, & Arno Reverendiſſimis Archiepiſcopis; & Cuniberto, Berardo, Hattone, & Teſſe Reverendiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis, necnon & Flacco electo Epiſcopo; verum etiam Helmogot, Rothegario, & Germano glorioſis Comitibus reſidentibus in Triclinio ipſius domni Leonis Papæ, & per unam & amplius hebdomadam inquirentibus ipſos nefandiſſimos malefactores, quam malitiam ad ipſum Pontificem habuiſſent, tam Paſchalis, quamque Campulus cum ſequacibus eorum, nihil habuerunt adverſus eum quod dicerent.* Ea porro Nicolai I. acta, conventum, locique apparatum Anaſtaſius Bibliothecarius minute deſcribit, quem, cui vacat, legendum relinquimus. Res tamen ipſa non ſinit, ut Onuphrii Panvinii opinionem hic ego diſſimulem. Nam ille in Lateranenſi Patriarchio, quum memorari vulgo audierit *aulam concilii*, in qua Leonis inſcriptum præterea nomen viderit, eam eſſe putavit, ubi duo illi conventus a Nicolao fuerint celebrati, eamque *Leonianam majorem* appellat, *minorem* vero hanc dicit, quam Anaſtaſius Leonis fuiſſe *Triclinium majus ſuper omnia Triclinia* narravit. Hæc autem e regione Lateranenſis eccleſiæ, illa vero parte ſiniſtra ſita fuit, de qua Panvinius (3): *Hæc aula*, inquit, *noſtris temporibus ſala concilii dicitur, quod ibi, ut opinor, Eugenius IV. concilium*

Panvinii lapſus.

(1) Idem ibid.
(2) In Leon. III.
(3) Lib. 4. De Baſil. Later. cap. 3. & 9.

cilium celebrare diſpoſuerit, & noviſſime Julius II. celebraverit. Antiquitus ab amplitudine, caſa major, vel ab auctore Baſilica Leoniana dicebatur; quam Leo Papa tertius Pontificum Romanorum uſui conſtruxit, & exornavit, in qua diebus quibuſdam ſolemnibus, ut Paſchatis, & Natalis Domini, Romani Pontifices cum Cardinalibus prandere ſolemni ritu conſueverant, &c. Hæc omnia innuere videtur oratio, quæ ſcripta eſt in zophoro apſidæ majoris, in qua Deus oratur, ut protegat domum illam, & omnes in ea convivantes. Quod hæc aula noſtra tempeſtate *ſala concilii* dicta ſit ob ſynodum ab Eugenio IV. cogendam, vel a Julio II. ibidem coactam, parum hic refert, aut nihil. Tametſi ex antiquis Lateranenſibus ſynodis (de privatis conventibus non loquor) neſcio an in *aula*, quam vulgus *conciliarem* vocat, vel unam quidem Panvinius celebratam inveniat; quod enim ait de Julii II. concilio, niſi privati aliqui congreſſus ibi facti ſunt; acta certe publica, quæ in lucem prodiere, agitata, perfectaque fuiſſe legimus (1) in eccleſia Lateranenſi. Quod vero in Leoniana domo conveniſſe Nicolaus ab Anaſtaſio dicatur, utique in Leoniana convenit, quam Leo III. ut paulo ante oſtendimus, a fundamentis ædificavit, quam ſui decoravit nominis magnitudine: quam denique Leo IV. incultam neglectamque reſtituit; nam illa Panviniana, etſi Leonis nomen inſcriptum habuit, tamen inſtauratoris ille titulus fuit, non auctoris. At qui eam domum, ſi ob reſtaurationem, Leonianam appellatam velit, univerſum Lateranenſe Patriarchium Leonianum dicat oportet, cujus vix ullam partem inveniat, quæ a Leone III. Anaſtaſio teſte, refecta non ſit. Fatetur Panvinius eam aulam, *caſam majorem*, ob amplitudinem ſuo fortaſſe tempore nuncupatam fuiſſe: *macronam*, Græco, priſcoque vocabulo ob inſignem longitudinem ab Anaſtaſio vocatam obſervo; quod non ſolum ille in ſuo de Patriarchio Lateranenſi commentario non animadvertit, ſed *macronæ* ne meminit quidem. Atqui tantum abeſt, ut Leo III. *macronam*, vel aliam ejus partem conſtruxerit, ut jam

(1) In Actis Concil.

ut jamdudum vetuſtate ruinoſam refecerit. *Macronam vero*, inquit Anaſtaſius (1), *ipſius Lateranenſis Patriarchii, quæ extenditur a campo, & ultra imagines Apoſtolorum, quæ præ nimia vetuſtate ruitura erat, a fundamentis ſimul, & ſarta tecta, nec non & ſolarium ab imo uſque ad ſummum noviter reſtauravit, & in melius firmiſſimis marmoribus ſtravit, atque cameram ipſius macronæ noviter fecit, & diverſis hiſtoriis pictura mirifice decoravit.* Neque duas fingas tibi *macronas*, quarum alteram pictura, alteram muſivum illud, quod Panvinius refert, perornaret. Nam ſanctæ Praxedis tribunal ex muſivo elaboratum a Paſchale I. quis eſt qui non videat? imo nec Anaſtaſius inficiatur, de eo tamen ſcripſit in hunc modum (2): *Apſidam vero ejuſdem eccleſiæ muſivo opere exornatam variis decenter coloribus decoravit.* Scilicet pro muſivo *colores*, & *picturam* uſurpavit. Neque vero, quod a viris Romanarum antiquitatum peritis memini audire me, *macronam* intelligas ambulacrum perpetuum, ac feneſtratum Patriarchii Lateranenſis. Illud ab Anaſtaſio hic appellari vides *ſolarium*; quod ad meridiem pertinens, Solique apertum, calorem, ac lumen ampliſſimis atque frequentiſſimis feneſtris opportune ad hibernas deambulationes admittebat. Id *ſolarium* cum vicina proximaque *macrona* a Leone III. ut citato loco animadvertit, reconcinnatum fuit; *ſolarium* vero tantum a Leone IV. iterum reparatum fuiſſe idem teſtatur Anaſtaſius (3): *Nam & ſolarium, quod b. m. Leo III. Papa conſtruxerat, quum præ nimia vetuſtate fractis trabibus in ruinis cerneretur everſum, noviter pulchrius in meliorem ſpeciem reſtauravit.* Quod denique Panvinius addit de ejus aulæ inſcriptione, & de conviviis in eadem celebrari ſolitis; in eam aulam convivia translata fortaſſe nonnunquam fuere ob loci capacitatem poſt Leonis III. imo etiam Anaſtaſii bibliothecarii tempora. Nam cur Triclinio ampliſſimo in ædibus Lateranenſibus jam exiſtente, & a Leone III. quod Panvinius credit, conſtructo; cur, inquam, Leo idem ad vitandas Theodori, & Zachariæ Tricliniorum anguſtias, hoc iis amplius,

Aliorum lapſus.

(1) In Leon. III.
(2) In Paſc. I.
(3) In Leon. IV.

amplius, atque patentius exædificaſſet? Cur autem Anaſtaſius cœnaculorum omnium Patriarchii maximum illud Leonis cœnaculum appellaſſet, quando ab hoc Panviniano magnitudine longe multumque ſuperaretur? illa enim aula Panvinii Triclinio Leonis major, & amplior altero tanto fuit. Sed tandem dirimamus, ſi libet, quæſtionem, & quaſi de facie utrumque diſcernamus ædificium. Anaſtaſius Leonis Triclinium tribus conſtare duntaxat apſidibus memorat, ſuum vero Panvinius undecim (1): *Aula*, inquit, *ampla & ſpatioſa, quæ concilii ſala hodie nominatur; quæ, præter apſidam majorem, ab utroque latere habet apſidulas decem*. Satis eſt: habemus quod liqueat. Ergo & illud male Panvinius, qui Leoniani Triclinii reſtaurationem, quam Leonem IV. curaſſe refert Anaſtaſius, ad hanc *aulam concilii* detorquet, de quo nos ſupra diſſeruimus.

C A P. VI.

Duorum Leonis III. Tricliniorum Lateranenſium diſtinctio.

ILlud nonnihil quæſtionis habere videtur, quod de altero Leonis Triclinio Lateranenſi accepimus; nam quia Triclinium eſt, ac in Laterano, & a Leone III. collocatum, neſcio quid ſcrupuli, & dubitationis in animo relinquit; niſi inter utrumque quid interſit, plane demonſtretur. Alterum ergo Triclinium ſic ab Anaſtaſio deſcribitur (2): *Itemque fecit in Patriarchio Lateranenſi Triclinium miræ magnitudinis decoratum cum apſida de muſivo, ſed & alias apſidas decem dextra lævaque diverſis hiſtoriis depictas, habentes Apoſtolos gentibus prædicantes, cohærentes Baſilicæ Conſtantinianæ. In quo loco & accubita collocavit, & in medio concham porphyreticam aquam fundentem; nec non & pavimentum ipſius marmoribus diverſis ſtravit*. Si quis hanc, & prioris Triclinii deſcriptionem commiſerit, ac diligentius comparaverit, tria in illo duntaxat Triclinia, in hoc undecim extitiſſe comperiet. Hic præterea *labrum* in ædium cavo deprehen-

Alterum Leonis triclinium Later.

Utriuſque triclinii comparatio.

(1) Panvin. loc. cit.

(2) In Leon. III.

prehendet, quo primum illud cœnaculum caruiſſe omnino novimus. Hoc deinde nullis, illud diverſis columnis ſuſtentabatur, vario ordine, præſtantique arte diſpoſitis. Denique ipſi videmus prioris Triclinii apſidas a Conſtantinianæ Baſilicæ lateribus longius diſtare; hujus vero ita vicinas fuiſſe, ut Lateranenſis eccleſiæ parietibus adhæreſcerent. Hoc totum ex illa comparatione diſcrimen nullo negotio colligitur. Sed accedit eodem, quod prioris illius Triclinii ſtructura, & fabrica ſublimis fuit; & ut Græci proprie vocant ἀνώγεως: poſterioris vero, ut iidem loquuntur, κατώγεως, hoc eſt, ſolo æqualis, & humilis, ac ut proprio Romanis vocabulo loci differentiam exprimamus, hæc cœnatio, illud cœnaculum fuit. Nam Cencius Camerarius (1): *Tranſiens*, inquit, *Pontifex per ipſam Leonianam intrat cameram ſuam*; aſcendit proculdubio dixiſſet, niſi unum utriuſque pavimentum fuiſſet Baſilicæ Leonianæ, & cubiculi Pontificii. Deinde auctorum, quos ſupra laudavimus, teſtimonio conſtat, ramos palmarum in clerum, populumque a ſummo Pontifice diſtribuendos e ſancti Sylveſtri in ſancti Laurentii Baſilicam, atque inde in Leonianam, præſtolanti Pontifici æquo pede miniſtris eo accedentibus, delatos fuiſſe; hæ igitur Patriarchii Lateranenſis Baſilicæ æquali, perpetuoque ſitæ pavimento erant. Atqui ambas illas ſancti Sylveſtri, & ſancti Laurentii ſublimes fuiſſe, citra controverſiam eſt; quandoquidem hæc poſterior, quæ hodieque eſt integra, gradibus imminet, quos *ſcalam* vulgo *ſanctam*, appellant. Denique omnem eximit dubietatem auctor vitæ Innocentii III. qui *facta*, inquit, *laude ante Lateranenſe palatium, poſtquam aſcendit in domum majorem, quæ Leoniana vocatur, ſolemne convivium celebravit*. Anaſtaſius etiam Bibliothecarius (2): *Domum*, ait, *quæ dicitur Leoniana, beatiſſimus præſul cum Epiſcopis &c. conſcendit*. Prius ergo illud Leonis Triclinium ſublime fuit, poſterius autem humile fuiſſe res ipſa loquitur. Siquidem hujuſce pavimentum *marmoribus ſtratum, & in medio concham porphyreticam aquam fundentem* habuiſ-

Differentia a ſtructura.

A partibus.

(1) In Rit.

(2) In Nicolao I.

habuiſſe narrat Anaſtaſius. Atqui certe in prima, aut ſuperiore domus contignatione collocare hæc, univerſa architecturæ diſciplina, & ædificandi ars prohibet, ſive coaxatione, ſive fornicibus conſtare velis eam ſtructuræ partem, in quam marmorum, & conchæ pondus imponis & aquarum perennitatem derivas. Subdialis ergo fons ille fuit, & in cavædio, quum cæteroqui pavimentum, in quo labrum porphyreticum eſt collocatum, ipſa fuerit humus, & ſolum; idque ita ratio convincit, ut nemo jam non videat. Præſertim quum alterum hoc Leonis Triclinium xe- Ab ejus uſu
nodochium eſſet, ejuſque amplitudo non majeſtati, & aquarum perennitas non deliciis, ſed confluentium peregrinorum commoditati parata forent. *In eo enim loco*, inquit Anaſtaſius, *accubita collocavit*, hoc eſt menſas & ſcamna, eaque fixa, ut in xenodochiis, & diverſoriis aſſolet. Aquarum ille fons non ſolum xenodochii miniſteriis, ſed hoſpitum etiam lavationibus deſtinatus erat, quibus peregrinorum obſequiis aſſidui olim fuere Pontifices, & in eoſdem pietatis ſpecimen præbuerunt. Hæc, quæ bibliothecarius paulo obſcurius expoſuit, alibi quum de peregrinorum accubitu Vaticano a Leone III. ædificato agit, ita clarius narrat (1): *Fecit juxta eoſdem gradus Baſilicæ Principis Apoſtolorum domum a fundamentis miræ magnitudinis, & pulchritudinis decoratam; in qua etiam & accubitus collocavit, & fecit juxta eandem domum pro ſubſidiis Chriſti pauperum, atque peregrinorum balneum a fundamentis mirifice decoratum.* Hæc advenarum Triclinia magnis ſumptibus aperuerunt Pontifices, idque potiſſimum fecere prope celeberrimas Baſilicas Vaticanam, & Lateranenſem, ad quas orationis cauſa ex toto terrarum Orbe concurſus fuit peregrinorum, quos nimirum Procopius intelligit in ἀνεκδότοις, ubi ſedes eorum apud divi Petri commemorat, & annonam a Theodorico eiſdem conſtitutam. Ex quo tempore factum eſt, ut ampliſſima ditiſſimaque noſocomia non in Vaticano ſolum, ſed etiam in Laterano hæſerint, loco minime illo quidem hodie frequenti. Quo tanto magis Pontificum

(1) In Leon. III.

tificum Romanorum in exteros, egenteſque commendatur caritas, atque munificentia, quæ, poſt tanti temporis diuturnitatem, ac locorum, & ſedis mutationem, ne loco quidem moveri, ne dum aliqua ex parte minui potuit. Sed de duorum Leonis Tricliniorum Lateranenſium differentia ſatis.

C A P. V I I.

Muſivum Triclinii a Leone III. fuiſſe paratum.

SEmiruti Lateranenſis ædificii conditorem, nomen, uſumque indicavimus. Quod ſupereſt, partitionem, ſymmetriam, & extructionis elegantiam a nobis quis fortaſſe requirat, vel ſaltem ut de ornamentis, quæ Anaſtaſius commemorat, aliquid diſſeramus, & an hibernum illud Triclinium fuerit, an æſtivum, vel ad quas potiſſimum cæli regiones pertineret. De proſpectu quidem cœnaculi, prout ſupra tulit occaſio, diſputavi. De ornatu vero, qui omnino deperiit, nec ad rem facit, noſſe aliquid, ignoraſſeque perinde eſt. Ego certe Illuſtriſſimi Franciſci Cardinalis Barberini ſententiam laudare ſoleo, qui, ut omnis eccleſiaſtica vetuſtas ſummo ſtudio inveſtigetur, ſuadet quidem; conſervandam vero, colendamque eam tantum exiſtimat, ex qua proficias. Quamobrem Triclinii partem ſolummodo, quam ille ſingulari, optimoque conſilio duxit reparandam, nonnulla commentatione, ſi id tamen aſſequar, explanabo.

Hoc eſſe Leonis muſivum probatur.

A muſivi natura:

Quum Leonis III. Triclinium a Leone IV. refectum fuiſſe conſtet, ſubit non levis animum ſuſpicio, ſit ne hoc illud opus vermiculatum, nec ne, quod Leo III. ante annos octingentos, & amplius pingi juſſerit; nam inſititii operis conditio adeo eſſe caduca videtur, ut tandiu perdurare potuiſſe vix credi queat. Imo ſi quod eſt picturæ genus, quod ætatem, ac temporis ferat injurias, teſſellatum maxime, quamque diutiſſime ferre ſolet. Tulit hoc varias incendiorum Lateranenſium injurias, quemadmodum ſemiuſtæ illæ indicant aureæ teſſelulæ, quas in tabula hic illic præ aliis ob id nigricare videmus. Nam virides,

virides, rubræ, flavæ, candidæ ſuo quæque colore ſaturæ ſunt, quibus, dum in fornace conflantur, pigmentum, quod præ ſe ferunt, penitus licet combibere. Non item aureis licet, quas ſuperficie tenus opifices aureis folliculis tenuiſſimis tantum conveſtiunt, vitroque ſtatim illos obducunt, quo ſint ab injuriis tutiores; at ſi quando vitrum ignis vim ſentiat, facile cedere, creditumque ſibi aurum prodere conſuevit. Verum enimvero de Leonis muſivi ætate nemo jure ambigat, quamdiu Aquiſgrani ſuperat (quod ſuperare novimus) Baſilicæ Caroli Imperatoris emblema; ſed Romæ longe vetuſtiorem eſt obſervare vermiculati operis antiquitatem. Extat Hadriani I. qui Leonem in pontificatu proxime præceſſit, nobilis, atque elegantis manus tabula in templo ſanctæ Pudentianæ, omni ex parte integra, quæ præſtantiſſimo internitet muſivo ultra ejus ætatis modum, atque peritiam. Juxta baptiſterium Conſtantini Auguſti emblemate relucet Johannis IV. ſacellum, qui annos fere ducentos Leone eſt antiquior; eademque ætate pontificatum geſſit Honorius I. qui via Nomentana ſanctæ Agnetis eccleſiæ cameram, quæ etiam num ſupereſt, opere ſegmentato perornavit. Via ſacra in templo ſanctorum Coſmæ, & Damiani nonne videmus apſidem verſicoloribus illuſtratam lapillis a Felice IV. qui tertio ante Leonem ſeculo floruit? Longe hanc ætatem præceſſit Simplicius, qui in ſancti Andreæ Baſilica (*Cata-Barbara* vocant) non ſolum quas cernimus imagines teſſellula inſititia diſtinxit, ſed quem legimus etiam ſui nominis, ac donationis titulum eodem opere deſcripſit. Vetuſtatem muſivi arcus majoris eccleſiæ ſancti Pauli, via Oſtienſi, illa Placidiæ Auguſtæ, & Leonis I. inſcripta nomina ſatis declarant. Quid plura? Muſivum arcus triumphalis, & medianæ parietum Baſilicæ Liberianæ in Exquiliis, nonne mille ducentorum fert annorum ætatem? nam Sixti III. titulum imminere adhuc quiſque videt in arcus faſtigio. Sed ſi tempus, ait, non repugnat, certe Leonis III. priſcorumque Pontificum modeſtia non permittit, ut factas ab iis credamus imagines, in quibus eorum effigies conſpiciuntur. Scio hanc nonnullorum cenſoriam eſſe ſeveritatem,

qui omni titulorum, imaginum, & inſcriptionum uſui interdictum modeſtiæ legibus volunt, & de majorum ſanctitate, gravitateque probe, ac digne ſentire ſe putant, quum ſuas illos imagines vel pictas, vel fictas poni minime paſſos fuiſſe contendunt; memoriæ vero clarorum virorum ad poſteros derivandæ unum ſatis eſſe arbitrantur recte factorum teſtimonium. Verum enim vero majores noſtri, probitate, & modeſtia inſignes, eam conſuetudinem, ut parce, ita citra vituperationem uſurpaſſe iſtis etiam cenſoribus videri poſſunt. Extant ad hanc diem imagines ad vivum expreſſæ, quas ſibi poſuerunt Innocentius. II. in Baſilica Calliſtiana ſub Janiculo: Paſchalis I. trans Tyberim ad ſanctæ Cæciliæ, & ad ſanctæ Praxedis in Exquiliis: Gregorius IV. in Baſilica ſancti Marci: Johannes IV. ad ſancti Venantii in Laterano: Honorius I. in templo ſanctæ Agnetis via Nomentana: Felicis IV. imago in æde ſancti Damiani ad forum Boarium non ita multis ante annis collapſa, ſub Gregorii XIII. perſona, vultuque renovata eſt. Hæc quidem nos oculis ſpectamus; ex hiſtoriis vero teſtimonia proferre licet non pauca, neque privata; nam Johannis VII. extructiones, quum adhuc Romæ extarent, ex ejus vultus pictura indigitare Anaſtaſius [1] ſolebat: *Fecit vero & imagines*, inquit, *per diverſas eccleſias, quas quicumque noſſe deſiderat, in eis ejus vultum depictum reperiet*; qui porro ex longinqua vetuſtate ante hoc quindennium ſupererat, ex antiqua Vaticana Baſilica, cum *ciborio*, quod *Veronicam* appellabant, ſublatus eſt. Gregorius Magnus, *dum adhuc viveret, ſuam ſimilitudinem*, inquit Johannes (2) Diaconus, *depingi ſalubriter voluit, in qua poſſet a ſuis monachis non pro elationis gloria, ſed pro cognitæ diſtrictionis cautela frequentius intueri, ubi hujuſmodi diſtichon ipſe dictavit*:

Chriſte potens, Domine, noſtri largitor honoris
Indultum officium ſolita pietate guberna.

Neque Paulinus, Nolanus antiſtes ægre fert, quod ejus imaginem Severus ſtatuerit in baptiſterio, ſed quod uno in loco, atque eodem cum Martino viro ſanctiſſimo ſtatue-

(1) In Johan. VII. (2) Vit. Gregor. libr. 4. cap. 84.

ſtatuerit (1): *Quæ ergo ſocietas*, inquit, *lumini, & tenebris, hoc eſt nobis, & Martino? evenit, ut peccator juſto compoſitus magis ſordeat, & peccatore collatus magis juſtus eluceſcat.* In quam ſententiam pro ſua modeſtia, animique demiſſione hoc edidit carmen:

Abluitis quicumque animas, & membra lavacris,
Cernite propoſitas ad bona facta vias.
Adſtat perfectae Martinus regula vitæ:
Paulinus veniam, quo mereare, docet.
Hunc peccatores, illum ſpectate, beati:
Exemplar ſanctis ille ſit, iſte reis.

Porro Pontificum, Epiſcoporum, ac Principum effigies in eccleſiarum tribunalibus cum ſanctorum depingere virorum vultibus perinde erat, ac in diptycorum albo poſt horum vocabula, illorum quoque nomina ſubnectere, ac inter miſſarum religiones in frequenti populorum conventu publice recitare. Nam, ſi quando res ita tuliſſet, quorum e diptychis nomina, eorumdem e parietibus abradebantur imagines. *Deinde abſtulerunt*, inquit Anaſtaſius (2), *de diptychis eccleſiarum nomina Patriarcharum, vel de picturis eccleſiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi eſſe poterant, auferentes, ideſt Cyri, Sergii, Pauli, Pyrrhi, Petri, per quos error orthodoxæ Fidei uſque nunc pullulavit.* Conjecturas arguimus, quibus muſivi Leoniani fides minui, & in ſuſpicionem recentioris ætatis adduci poſſe videbatur; ſuis id etiam rationibus ſtatuere æque eſt facile. Quandoquidem ex duabus Leonis III. Carolique Magni ſimulacrorum inſcriptionibus integra quidem altera ſuppetit: alteram, cujus extremæ partes exeſæ, ac pene dimidiatæ relictæ nobis ſunt, Angelus Maſſarellus plenam, totamque ita ſua ætate legit, excepitque: Idem ſuis rationibus probatur.

BEATE. PETRE. DONA
VITAM. LEONI. PP. ET BICTO-
RIAM. CARULO. REGI. DONA

Quod, illis ſuperſtitibus, inſcriptum affirmare tam rationi

(1) Epiſt. ad Sev. 11. (2) In Agathone.

conſentaneum eſt, quam abſurdum fuerit vitam, triumphoſque demortuis peroptare. Præterquamquod vel altera illa inſcriptio:

SANCTISSIMUS. D. N. LEO. PP
D. N. CARULO. REGI

hoc idem apud eum convincere poteſt, qui vel levem antiquitatis notitiam habeat. Cur autem *Dominum noſtrum* eum appelles, qui tibi jam dudum non ſit, ejuſque loco tibi ſit alter? Gregorius IV. qui decimo poſt Leonem anno Pontifex fuit, hanc illius ætatis conſuetudinem comprobat inſcriptione, quam viventi levitæ ædiles in ſancti Marci Baſilica poſuerunt, & hodieque legimus:

SANCTISSIMUS. D. N. GREGORIUS. PP

Vaſta tholi firmo ſiſtunt fundamine fulcra,
Quæ Salomoniaco fulgent ſub ſidere ritu.
Hæc tibi, proque tuo patefecit Præſul honore
Gregorius, Marce, eximio cui nomine Quartus.
Tu quoque poſce Deum vivendi tempora longa
Donet, & ad cæli poſt funus ſydera ducat.

Præterea quadratum illud inſigne, quo Leonis, Carolique redimita videmus capita, inditium eſt minime dubium, utrique tum vitam ſuppeditaviſſe, quum Triclinio faſtigium, & picturæ, ornamentiſque ſuprema manus imponebatur. Quamquam enim vita etiam perfunctis id genus ornamenti adhibitum nonnunquam fuiſſe paulo poſt demonſtrabo; id tamen contigit, uſurpatumque raro eſt; contra vero iis, qui in via eſſent, totam ejus ritus rationem accommodatam fuiſſe Johannis Diaconi, & ſexcentis priſcarum imaginum teſtimoniis confirmari poteſt. Quod reliquum eſt; quum de Lateranenſi hoc toto ædificio, deque ejus muſivo, ac utriuſque conditore habeamus, quod liqueat, hiſtoriam ex ultima illorum temporum vetuſtate petitam, quam nullus antiquitatis Romanæ ſive ſacræ, ſive profanæ indagator deprehendit, neque qui omnem Laterani priſcam evolvit memoriam Onuphrius Panvinius obſervavit, Illuſtriſſimus Cardinalis Barberinus lapidi inciſam

ciſam publice proponi juſſit, quo & res ipſa indubitatum haberet teſtimonium, & reliqua ædificii pars, quam excitare religio fuit, ſaltem hoc uno in lapide appareret, & æternæ poſterorum memoriæ conſervaretur:

LEO. PAPA. III.

FECIT. IN. PATRIARCHIO. LATERANENSI

TRICLINIUM

MAIVS. SVPER. OMNIA TRICLINIA

NOMINIS. SVI. MAGNITVDINE. DECORATVM

PONENS. IN. EO. FVNDAMENTA. FIRMISSIMA

ET.IN.CIRCVITV.LAMINIS.MARMOREIS.ORNAVIT

ATQVE. MARMORIBVS. IN. EXEMPLIS. STRAVIT

ET. DIVERSIS. COLVMNIS. TAM PORPHYRETICIS

QVAMQVE. ALBIS. ET. SCVLPTIS

CVM. VASIS. ET. LILIIS. SIMVL. POSITIS

DECORAVIT

CAMERAM. CVM. APSIDA. DE. MVSIVO

ET. ALIAS. DVAS. APSIDAS

DIVERSAS. HISTORIAS. PINGENS

MARMORVM. INCRVSTATIONE.PARITER.IN.CIRCVITV

DECORAVIT

EX. ANASTASIO. BIBLIOTHECARIO

CAP. VIII.

CAP. VIII.

Cameræ muſivum quid præſeferat.

UT de Leoniani cœnaculi emblemate, quid maxime referat, ſcire, exiſtimareque poſſimus, ædificatoris conſilium inveſtigemus oportet; quum pro arbitratu cuique ſuo hujuſmodi parare ædificiorum ornamenta liceat. Zacharias (1) Pontifex Triclinium a ſe in Laterano collocatum univerſarum Chriſtiani Orbis provinciarum tabulis conveſtivit, ea, quam paulo ante dixi, de cauſa. Iis in (2) porticibus, quas *ptochia* Græci dicunt, ubi egentes publice alebantur, pauperum greges, alimenta, miniſtrorum obſequia Hadrianus I. exprimi juſſit. In ampliſſimo xenodochio (3) Lateranenſi Apoſtolos gentibus prædicantes Leoni III. pingere libuit, ut exteri advenæ ſuarum quique regionum magiſtros, & prima Fidei chriſtianæ apud ſuos exordia, Romæ, vel inter epulas, contemplarentur. Ergo in Triclinio conviviis Pontificum, & Imperatorum deſignato partæ ſuo tempore publicæ pacis, Imperiique tranſlati monumenta, & quandam tum geſtorum faciem ſubdere obtutibus Leo voluit. Partæ quidem pacis monumentum in ipſo tribunali ita conſtituit.


Varia Tricliniorum ornamenta.

Tab: III.

Pax Eccl. Romanæ reddita.

Notum vero eſt, & omnium vel Græcorum, vel Latinorum hiſtoriis celebre piaculum, quod turbulenti homines in virum ſanctiſſimum, atque innocentiſſimum, Romanus populus in civem ſuum, eccleſiaſtici ordinis facile principes, in Leonem Pontificem Maximum perpetrarunt, unde exorta inter Romanos diſſidia, & cum in Urbe, tum in univerſa Italia turbata pax publica. Ad quam componendam Albinus Flaccus, vir ſummæ apud Carolum Magnum autoritatis, graviſſimis olim verbis eundem inflammavit (4): *Ecce in te ſolo tota ſalus eccleſiarum Chriſti inclinata recumbit. Tu vindex ſcelerum, tu rector errantium, tu conſolator mœrentium, tu exaltatio bonorum. Nonne Romana in*

(1) Anaſt. in Zacch.
(2) Idem in Hadrian. I.
(3) Idem in Leon: III:
(4) Albin. epiſt. 11.



Tab. III. *pag. 30.*

in ſede, ubi religio maxima pietatis quondam claruerat, ibi extrema impietatis exempla emerſerunt? Ipſi cordibus ſuis excœcati excœcaverunt caput proprium. Nec ibi timor Dei, nec ſapientia, nec caritas eſſe videtur. Quid boni ibi eſſe poterit, ubi nihil horum trium invenitur? Si timor Dei eſſet in eis, non auderent: ſi ſapientia, non voluiſſent: ſi caritas, nequaquam feciſſent. Tempora ſunt periculoſa olim ab ipſa Veritate prædicta, quia refrigeſcet caritas multorum. Nullatenus capitis cura omittenda eſt. Levius eſt pedes dolere, quam caput. Componatur PAX cum populo nefando, ſi fieri poteſt, relinquantur aliquantulum minæ, ne obdurati fugiant, ſed in ſpe retineantur, donec ſalubri conſilio ad PACEM revocentur. Scelus porro illud nefarium in Leonem editum, quod Flaccus innuit, licet ab Anaſtaſio (1) Bibliothecario vicino illorum temporum Scriptore luculenter narratum ſit; cito tamen, facileque ut credant, adduci ſe minime quidam patiuntur, ſed quidvis potius actum exiſtimant, quam effoſſos oculos, vel præciſam ei linguam fuiſſe, qui poſt acerbum illum caſum, tenuerit diuturniſſimum pontificatum. Scilicet (2) Philippo Mornæo, & iſtis catholicæ Fidei deſertoribus maxima videtur pietas perduellium illorum facinus minuere, modo ne vel in ſanctiſſimi Pontificis commendationem, vel in liberatoris Dei cedat gloriam tanti ſceleris immanitas. An Leoni eruti ſint oculi. *Conſpirarant*, inquit Joachimus Camerarius (3), *in Leonem Pontificem quidam, & capto juſſerant oculos erui, quibus tamen hoc negotium datum fuerat, ii cruentos quidem vulnerando oculos fecerunt, ſed pepercerunt luminibus Pontificis. Itaque viſus ei ademptus non eſt. De quo fabulam poſtea ſparſerunt quidam, viſum Pontifici divinitus reſtitutum fuiſſe.* Sed non deſunt Leonis æquales vel Græci, vel Latini teſtes veritatis. Theophanes (4) rem geſtam ſic expoſuit. Οἱ τῆς ῥώμης συγγενεῖς τοῦ μακαριωτάτου Πάπα Ἀδριανοῦ συγκινήσαντες τὸν λαὸν ἐστασίασαν κατὰ Λέοντος τοῦ Πάπα, καὶ κρατήσαντες ἐτύφλωσαν αὐτόν. Quæ ita Bibliothecarius convertit: *Romæ, cognati bonæ memoriæ Hadriani Papæ commoventes*

(1) In Leon. III.
(2) De hiſt. Pap.
(3) Ad Chronol. ſancti Niceph.
(4) Theoph. in Chron.

moventes populum tumultuati ſunt contra Leonem Papam, & tenentes excœcaverunt eum. Quod vero Theophanes de aſpectu eidem Pontifici reſtituto dicere prætermiſit, addit Anaſtaſius, ſuo tamen illo ſcribendi genere ambiguo, & minime accurato: *Non tamen penitus lumen ejus extinguere potuerunt*; dicere voluit: *non tamen in poſterum tempus*, ſive *in perpetuum, lumen ejus extinguere potuerunt*; ne vel a Theophane, quem interpretatur, diſcedere, vel ſibi alioqui non conſtare videatur. Theophanes enim penitus extinctum Leoni lumen ait; ipſe vero eidem paulo poſt divinitus reſtitutum narrat (1). Carolus Magnus, ſcelus in Eccleſia Romana nunquam antea auditum, iis haud dubie nunciis acceptum, qui Roma nec uni, nec incerti ad ſe tanquam Romanorum Patricium, Urbis patronum, Eccleſiæque Romanæ defenſorem ſubinde, crebriuſque publicis, privatiſque litteris perferebantur, cum ad alios perſcripſit, tum ad Albinum Flaccum præceptorem ſuum: *Quid vero*, Flaccus ait (2), *in eo actum ſit, qui rector præfatæ Sedis fuerat, mihi veneranda bonitas veſtra innoteſcere curavit*. Statimque ſubdit, quemadmodum Caroli litteris acceperat: Romanos *cordibus ſuis excœcatos excœcaſſe caput proprium*, hoc eſt Pontificem Maximum. Eginhartus (3) rem eamdem ita perſequitur: *Romani Leonem multis affectum injuriis, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem Regis implorare compulerunt*. Idem Albinus Flaccus in carmine de Leonis ad Carolum profectione:

An ſuas Pontifices poſuerint imagines.

A muſivis vetuſtioribus.

A muſivis æqualibus.

Pontificem expulſum Romana a ſede Leonem
Civibus a propriis, & tot toleraſſe recenſet
Verbera commemorans: extinctum lumine vultum
Narrat, & abſciſſam liquido de gutture linguam:
Nunc medicante Deo ſanatum, & ab omnibus iſtis
Eſſe malis.

Et ſtatim infra:

Exquirit Carolus caſus, auditque laborum
Diverſos; ſceleris populi impia facta ſtupeſcit,
Miratur geminas jamdudum luce feneſtras
Extinctas,

(1) In Leone III.
(2) Apud Albin. epiſt. 11.
(3) Egin. in vit. Car. Magn.

Extinctas, & nunc reparatum lumine vultum,
Truncatamque loqui miratur ſorcipe linguam.
Alter in alterius configunt lumina vultus;

Auctor Annalium Francorum (1): *Leo Papa dum cum litania proceſſurus de Lateranis ad Eccleſiam beati Laurentii, quæ ad craticulam vocatur, equo ſedens pergeret, in inſidias a Romanis poſitas juxta eandem Baſilicam incidit: ubi equo dejectus, & erutis oculis*, ut aliquibus viſum eſt, *lingua quoque amputata, nudus ac ſemivivus in platea relictus eſt*. Si, ut docti viri non dubitant, Albini, Eginharti, & Caroli hic autor eſt æqualis, quis non videat adſcititiam eſſe illam vocem, *ut aliquibus viſum eſt*, quam ex libri margine deſumptam neſcio quis ad orationis, & hiſtoriæ filum attexuit? Si vero tantis viris ætate poſterior eſt, derogare iis fidem non poteſt, quorum, ob ætatem, præjudicata eſt auctoritas. Si Zonaram Mornæus (2), nuperum ſane ſcriptorem proferat, is non ſolum Theophanis eodem ætatis præjudicio exploditur, ſed falſi etiam redarguitur; ut qui ab auctoris fide diſceſſerit, quem pene deſcribere ſolet. Sed ſi Romanorum in eo facto conſilium exquirimus, id tale fuit, ut Leonem Pontificem de ea, quam ipſi minime ferrent, dominatione deturbarent lege Perſicæ crudelitatis, quæ jamdudum in imperio Romano inoleverat, quave per per eoſdem illos dies Irene Auguſta Conſtantino filio imperii collegæ oculorum viſum ademerat, ut aditum ad eam dignitatem in poſterum filio præcluderet. Leoni præterea linguam Romani præciderunt, cujus cenſoria facundia perditos mores ſuos, vivendique licentiam increpari ſentiebant; nam ob eam dicendi vehementiam *Sermocinatoris* (3) nomen Leonem inveniſſe accepimus. His licet indignis modis a Populo Romano acceptus Leo, tamen in repræſentanda hoc in Triclinio Pace, ad quam ſibi, Eccleſiæque ſuæ, ac univerſæ Italiæ reſtituendam Carolum Regem ipſe coram permovit, chriſtiana cum primis uſus eſt modeſtia. Nam impiam in ſe Roma- **Leonis modeſtiæ monumentum**

E norum

(1) Ad ann. 799.
(2) Ibidem.
(3) Romual: Salern. Chron.

norum conjurationem, Paſchalis Primicerii, Campulique Sacellarii inſidias; ſicariorum impetum, inter ſacras religiones ſtrictos in ſe mucrones, publice, & in conſpectum Populi Romani propónere; præterquam quod exacerbare mentem facinoroſorum hominum poterat, qui ſuam impietatem perpetuæ poſterorum memoriæ commendari viderent; animum etiam affectum olim injuria non omnino vacuum indignationis prodidiſſet; a qua tam longe fuit Leo vir ſanctus, ut non modo parricidii crimen ſicariis, ſed conjurationis auctoribus vitam etiam, licet Carolo Magno reclamante, condonaverit; ut ob id a Theophane merito Φιλάνθρωπος ſit appellatus. Quare facinus adverſariorum tam horrendum, vel reportatam a ſe victoriam invidiæ plenam in tabulis, qui gentilium mos fuit, exprimendam minime duxit; ex Euangelii autem armamentario deprompta triumphi teſſera, in tranquilliſſimæ pacis imagine, qua nullus offenderetur, & in exemplo Chriſti Domini, ita expreſſit exercitæ in ſe crudelitatis memoriam, ut magis ornatum, quam hiſtoriam impie in ſe commiſſorum quæſiſſe videatur. Ergo cum in Triclinio a ſe nuper extructo id fieri deberet, Chriſtum Dominum pacis auctorem poſt nuperum laniatum redivivum, PACEM Diſcipulis in cœnaculo nunciantem propoſuit. Quem ſane ad modum ipſe poſt effoſſos oculos, poſt linguam præciſam, poſt diram denique parricidarum immanitatem, quaſi ad vitam revocatus, qui in ſe ſæviiſſent, ad pacem non adducit modo, verum ad menſas vocat & convivia, quibus eo magis fœdera pacis inter ſe ſtabilirentur. Quod a ſe, tum animi magnitudine, gravitateque, tum bona, publicaque fide factum, ut demonſtraret, eodem illo ſigno, quo Syngraphas, actaque publica confirmare, communireque ſolebat, has pacis publicæ tabulas confirmavit, atque communivit. Eſt enim Leonis III. Pontificis ſignum id quod in apſidis hemicyclo legis: GLORIA IN EXCELSIS DEO, ET IN TERRA PAX HOMINIBUS BONAE VOLUNTATIS; moris quippe fuit antiquorum Patrum ex divinis litteris excerptas voces familiares habere, ac omni in negotio uſurpare, quibus vel ad Deum excita-

Leonis ſignum.

excitaretur animus, vel officii moneretur ſui, vel Dei nunquam obliviſci aſſueſceret, quod omnes ad hanc diem ſervant Romani Pontifices. Ignatii ſanctiſſimi martyris conſuetum illud fuiſſe carmen ab Areopagita (1) Dionyſio accepimus: ὁ ἐμὸς ἔρως ἐςαύρωται, *meus amor Crucifixus eſt*; & Johannis Chryſoſtomi illud fertur (2): Δόξα σοι Κύριε ἕνεκα πάντων, *Gloria tibi Domine propter omnia*. Has inter ſe, & Deum nuncias voces, quaſi ſacras, ſanctaſque majores habuerunt, & ſi quid ratum firmumque eſſe vellent, eo inſcripto, ſubſcriptoque ſigno, ita a ſe haberi declarabant. Cum Leo III. in conſpectum Caroli Magni auxilium imploraturus veniſſet, illa prima ejus, ut Anaſtaſius ait (3), vox fuit: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: nempe ſe ſummis licet affectum injuriis, nuncium pacis non bellorum, aut diſſidiorum adeſſe ſanctiſſime affirmavit. Præclara ſane vox, quæ una Leonis vitæ totius præconium eſſe queat; neque enim tot adverſis exagitatus, & ad terram penitus afflictus animus ad tantam erigi magnitudinem potuiſſet, niſi veluti fundamento firmiſſimo adoleſcentiæ, ac univerſæ vitæ ſanctitate optime conſtitutus fuiſſet. Quo quidem facto quemadmodum anteactæ vitæ majorem Leo ſplendorem attulit, ita Deus Opt. Max. vitæ ejus, atque incolumitatis patrocinium ſic ſuſcepiſſe viſus eſt, ut reſtaurato oculorum lumine, reſtitutaque loquendi facultate, non tam ſacrilegas perduellionum manus redarguerit, quam impium detexerit animum, quo adverſus hominem innocentiſſimum falſas conflare accuſationes ſunt auſi. Itaque virum Deo gratum majores adeo venerati ſunt, ut ad ejus monumentum aram Deo (quem cultum antiquitus iis tantum, qui in ſanctorum numerum adſcriberentur, adhibere fas fuit) in ſacra Vaticana Petri Baſilica extruxerint, & cum ſanctitate paribus Leone I. II. & IV. uno in loco eum condi, colique voluerint, quod a Paſchale II. inſcriptus lapidi titulus hic docet:

Leo III. inter ſanctos.

E 2 SVB.

(1) Divin. nomin. cap. 4.
(2) In ejus vit.
(3) In Leon. III.

SVB. HOC. ALTARE. SVNT. CORPORA
SS. LEONVM. I. II. III. ET. IIII. PONTIFICVM. ET. CONSFESSORVM

Reliqua in hac tabula non minimam antiquitatis eccleſiaſticæ notitiam continent, pallia, loratæ tunicæ, veſtes litteratæ, geſticulationes digitorum, alia; quæ cum hujus loci non tam propria, quam aliarum veterum tabularum communia videantur, ad libros, quos de eodem argumento ſcribimus, reiici nunc a nobis, æqui bonique lector conſulat.

C A P. I X.

Dexteræ partis apſidis Muſivum quid repræſentet.

Pars muſivi ſuppleta.


QUod parte apſidis dextera relucet muſivum recentioris quidem manus eſt imitatio, quæ tamen opus exprimit illud antiquum, quod Leo III. in conſpectu olim poſuerat. Id porro ante annos amplius ſeptuaginta decidiſſe, ex eo coniicere mihi videor, quod ille caſus non Panvinii modo diligentiam antevertit, ſed etiam Angeli Maſſarelli curioſi antiquitatis indagatoris, qui ſiniſtræ partis imagine, ac inſcriptionibus provide conſervatis, dexteræ hujuſce, ne veſtigia quidem nobis reliquit; vixit ille Julio III. Poutifice, cui, & duobus ejus ſuceſſoribus Marcello II. & Paulo IV. fuit a ſecretis, eandemque operam Concilii Tridentini Patribus ſumma cum laude navavit, ac demum Theleſinam rexit eccleſiam. Sed qui eum anteceſſerunt eccleſiaſticæ antiquitatis curatores, laude illi quidem digniſſimi, hanc hujus muſivi partem ſuo tempore labentem exceperunt, optimaque fide delineandam curarunt.

Tab. IV.

Hoc ejus imaginis exemplum, quod unicum nobis, ac toti poſteritati relinquebatur, Illuſtriſſimus Cardinalis Barberinus, non ſine divino nutu, poſt diuturnam indagationem nactus eſt, quod lapis ab illo poſitus ita profitetur, ac monet.

FRAN-

Tab. IV. pag. 36.



FRANCISCVS
S. AGATHÆ. DIAC. CARDINALIS
BARBERINVS
TRICLINII. A. LEONE. III. ROM. PONT. CONSTRVCTI
A. LEONE. IV. SVCCESSORE
SEXAGESIMO. POST. ANNO. REPARATI
NOSTRA. TANDEM. ÆTATE. PENE. DIRVTI
PARTEM. HANC. ILLVSTRIOREM
IN. QVA
VTRAQVE. IMPERII. ROMANI. TRANSLATIO
REDDITAQVE. VRBI. PAX. PVBLICA. CONTINETVR
PARIETIBVS. HINC. INDE. SVFFVLSIT
CAMERÆ. MVSIVVM. RESTAVRAVIT
LABANSQVE. OLIM. DEXTERVM. APSIDIS. EMBLEMA
ANTIQVARIORVM. DILIGENTIA. COLORIBVS. EXCEPTVM
PENITVS. DEINDE. COLLAPSVM
AD. PRISCVM. EXEMPLVM
SVMMA. FIDE
EX. MVSIVO. RESTITVIT

Plane ſi quid minus vel ſtudio antiquitatis, vel auctoritatate tanti Cardinalis fuiſſet, de ſingulari vetuſtatis monumento actum jam eſſet. Itaque publici operis memoriam, incredibili ſtudio perquiſitam, ſumma felicitate inventam, in Vaticanam Bibliothecam inferri juſſit, ne reſtaurati hujus operis teſtimonium, vel fides ab exteris poſteriſque aliquando deſideraretur. Hanc minime pœnitendam

tendam antiquarii operam contulerunt in eam apſidis partem, quæ omnino defluxerat, reſtituendam. Leo autem Pontifex neſcio quid hiſtoriæ ſuperiorum temporum hoc loco repetivit, & cum ſuo Pontificatu, rerumque ſuarum eventu commiſit; quod utraque reſpondere ſibi mutua quadam, cum perſonarum, tum negotiorum ſimilitudine viderentur, ac proinde imagines, quæ ea referrent, e regione collocatas, eo facilius ex hiſtoriæ convenientia comparari, atque luculentius intelligi alteram ex altera poſſe ſperavit. Geminæ quippe tabulæ ſunt, altera dextrorſum, ſiniſtrorſum altera collocata. Tres in utraque tabula perſonæ; aliæ nituntur genibus, duo pro tribunali ſedent, Chriſtus videlicet parte dextera, ſiniſtra Petrus Apoſtolorum Princeps; ſuus utrique Pontifex hinc, inde Imperator ſubmittit genua; Chriſto Sylveſter, & Conſtantinus; Petro Leo, & Carolus. Horum pro ſua quiſque conditione ab illis ſumit inſignia; Imperatores vexilla; Pontificum alter ſinu claves, alter pallium accipit. Scilicet imaginum illarum auctor ſic intelligi voluit: ab utroque illo Imperatore Pontifices eos divino nutu in dignitatem aſſertos; Leonemque III. ita a Carolo Magno in integrum eſſe reſtitutum, quemadmodum poſtliminio revocatum a Conſtantino Imperatore Sylveſtrum. Contra, Imperatores, iiſdem Pontificibus, Imperium obtinuiſſe: Conſtantinum quidem, poſtquam a Sylveſtro ſalutari eſt fonte initiatus, in Imperio confirmatum, deſignatumque divinitus eccleſiæ Chriſtianæ defenſorem; Carolum vero ſecundum Deum a Petro Apoſtolorum maximo, hoc eſt eccleſia Romana, Cæſarem renunciatum, & vindicem cooptatum fuiſſe. Hæc videlicet illarum continet tabularum hiſtoria. Nimirum a conſilio Leonis, nedum ab hiſtoriæ veritate longe is abit, qui, Sylveſtri Pontificis titulo jamdudum vetuſtate corrupto, vel ex uno illo clavium, quas gerit, inditio argumentum accipere certiſſimum ſibi videtur, ut in Sylveſtri imagine, non illum, ſed Petrum intelligat. Nec animadvertit quantum in hac tabula providi auctoris ſolertiam offendat, qui Petrum, quem in apſidis loculamento clavium compotem inter Apoſtolos pinxerit, hic eundem, quaſi,

Dexteræ, & ſiniſtræ tabulæ per comparationem declaratio.

Sylveſtri Papæ imago non Petri.

quaſi Imperatore Conſtantino, in eam clavium poſſeſſionem miſſum oſtendat. Hæc quidem ex ipſa tabula deſumere licet. Sed aliunde intelligat, qui de hac Sylveſtri imagine aliter ſentit, quam abſurdum Petro habitum imponat, quam remotum ab eo tempore, quo traditas ſibi a Chriſto Domino claves accepit, quam alienum a dignitate, quam ab auctoritate abhorrens. Etenim qui Eccleſiaſticæ habet antiquitatis vel Græcæ, vel Romanæ qualemcunque peritiam, latere non poteſt, in priſcis majorum iconibus non publicis tantum, quas modo conſentaneo pingi conſueviſſe dubium non eſt, ſed neque in privatis reperiri unquam poſſe, Petrum ſacra illa indutum penula, quam modo *planetam*, modo *caſulam* appellant. Quid vero de Apoſtolorum principe dico, quod de alio quocunque ordinis apoſtolici viro comminiſci, nedum credere in univerſa illa prima, & proxima antiquitate poſſe inveniri, tam incredibile eſt, tam ineptum, quam quod ineptiſſimum? Quid multa? Quid longius petita? In Leoniano hoc ipſo emblemate (quod in vetuſtioribus tabulis nuſquam repertum iri affirmare non dubito) Petrum videre eſt, *orario*, ſive *mappa*, quod *pallium* dicitur, amictum, idque graviſſima de cauſa, quam ſtatim explicabo (1). Atqui ſub eo pallio non ne vides apoſtolicam penulam a Leone depictam? Cur hic tandem Petro indumentum id negaſſet, quod in altera tabula conceſſiſſet, atque majorum exemplo, receptoque ritu concedi poſſe intellexiſſet? Præſertim cum ibi quod præter hiſtoriam, ut dixi, ac præter dignitatem erat; hic ad rem, ut mox diſſeram, facere maxime videretur, atque oportuniſſimum foret? Quotus vero quiſque eſt eccleſiaſticæ diſciplinæ cenſor, ac rituum inſtitutor, qui primum ſummumque ſacrorum antiſtitem, quem Areopagita Dionyſius *hierophantam* appellavit, veſtibus induere, ſucceſſorum, vel miniſtrorum hierarchiæ licere putet? atque iis demum veſtibus, quæ ſacræ eo præſertim nomine habentur ac inſtituto, quia ad Hierophantæ indumentorum ſimilitudinem factæ,

Apoſtoli nunquam planetati.

(1) Vide cap. ſeq.

ctæ, & certo modo, rituque variatæ, ejus ſucceſſoribus, atque miniſtris hierarchiæ, dignitatis ergo, accommodatæ ſunt? Ceterum in libris eccleſiaſticarum antiquitatum id fuſe probamus

Pontifices clavigeri. Clavium inſigne (id enim movet, qui aliter ſentit de Sylveſtri hac imagine) poſt Petrum Apoſtolorum, omnibus conceſſit antiquitas Petri ſucceſſoribus; præter hoc enim Leonis III. muſivum, & Victoris II. ac Alexandri identidem II. nomiſmata, quæ olim Alphonſus Ciaconus protulit; celeberrimum illud ſuppeditat a Card. Baronio editum, quod, ex univerſa eccleſiaſtica nummorum vetuſtate, ſiquidem Leonis Magni, ut eximius vir ille
Tab. V. putavit, eſſe probaretur, cui compararem; plane nihil haberem. Quæ mea tamen de illo ſententia ſit (1), infra loco dicam opportuno. Ceterum nullum tam ineptum conjectorem, aut ineruditum nomiſmatum interpretem eſſe arbitror, qui credat Petri potius dignitatem, quam Pontificum Maximorum, & eccleſiæ Romanæ præſtantiam iis nomiſmatum inſignibus denotari; cum nihil referat, utrum ſignorum inditiis, an verborum teſtimoniis id declarare malis. Infinita vero ſunt Patrum teſtimonia, quibus Petri claves Romanis Pontificibus vindicantur. Ad rem modo eſt Theodori Studitæ illa Leonis III. æqualis ſui, & altera Paſchalis I. ejus ſucceſſoris compellatio, quæ Græcis vocibus Latinas horum nomiſmatum imagines declarat: Ἄκουε κλειδοῦχε τῆς οὐρανῶν βασιλείας, πέτρα τῆς πίστεως, ἐφ' ᾗ ᾠκοδόμηται ἡ καθολικὴ ἐκκηλησία. Πέτρος γὰρ σὺ τὸν Πέτρου θρόνον κοσμῶν καὶ διέπων. *Audi claviger Regni* (2) *cælorum, Petra fidei, ſuper qua fundata eſt Eccleſia Catholica; Petrus enim tu es, qui Petri ſedem ornas, & gubernas.* Τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, οὗ σὺ τὰς κλεῖς ἐδέξω παρ' αὐτοῦ διὰ μέσου τοῦ τῶν ἀποστόλων προστάτου, καὶ τῶν ἀμοιβαδὸν μέχρι τοῦ προηγησαμένου τῆς ἱερω πάλην σου κεφαλήν. *Chriſti* (3) *Evangelium, cujus claves ab eodem Chriſto tu accepiſti per Apoſtolorum antiſtitem, & per eos, qui ſucceſſive, ad tuum uſque*

(1) Inf. cap. 12.
(2) Theodor. Stud. in epiſt. ad Leon. III.
(3) Idem ad Paſch. I.

uſque anteceſſorem, ſacratiſſimum tuum caput præceſſerunt: & de Romana eccleſia idem pronunciavit: Κορυφαϊκὸς θρόνος, ἐν ᾧ Χριστὸς ἔθηκε τὰς κλεῖς τῆς πίστεως. *Primaria* (1) *ſedes, in qua Chriſtus Dominus poſuit claves fidei*. Sed de his alibi opportunior locus erit, ac plenior diſputatio. Nunc autem factum Pontificis cum Pontificis facto comparemus, & hanc Leonis tabulam, cum Simplicii hac inſcriptione committamus, quæ in foribus Baſilicæ antiquæ Vaticanæ legebatur:

QVI. REGNI. CLAVES ET. CVRAM. TRADIT. OVILIS
QVI. CAELI. TERRÆQVE. PETRO. COMMISIT. ABENAS
VT. RESERET. CLAVSIS. VT. SOLVAT. VINCLA. LIGATIS
SIMPLICIO. NVNC. IPSE. DEDIT. SACRA. IVRA. TENERE

Illud non minimam hic movet admirationem, quod Leo Conſtantinum Imperatorem, quaſi ſua ætate ſuperſtitem, quadrato illo ut vocant *diademate*, modo id appellare ſic liceat, inſigniverit. Enim vero ex Joannis (2) Diaconi ſententia vulgo paſſim illud inſigne ſic accipitur, *ut viventis*, quemadmodum ille loquitur, *ſit inditium*. Quare non temere antiquitatis eccleſiaſticæ periti, clarorum virorum ætatis, ac vitæ argumenta inde deſumere videntur. Verum id tute cauteque faciendum ego quidem ſemper exiſtimavi, & Leonis III. hoc factum impenſe monet. Nam ſi penitius rem libet inſpicere, non tam priſci ritus rationem Joannes Diaconus perpendit, quam uſum, qui ut plurimum in tabulis extaret, & ad quem illud inſigne frequentius, ac pene quotidie uſurparetur, expoſuit. Nos paucis perpendamus. Cedo priſcam mihi tabulam privati hominis, vel feminæ iis ornatam inſignibus; unam cedo, aut alteram. Nec privati hominis dico, quales ex trivio ſunt, & ex infima plebe, quibus nemo, ne ſibi quidem ipſi ponunt imagines; ſed primariæ nobilitatis, equeſtris ordinis, ſenatores, patricios; & ex feminis da Lucinarum aliquam, da Bleſillas, Paulas, eas, quæ ſua in Pontifices Romanos largitate, in Clerum munificentia, hujuſcemodi imaginum monumenta ſint promeritæ. Horum

Conſtantini Imp. imago.

Quadratum inſigne quid ſignificet.

Vulgi opinio expenditur.

quidem

(1) Ibidem.

(2) In vit. Greg. M. libr. 4. cap. 84.

quidem effigies reperire haud erit difficile, ita tamen inſignitas, ut quæritur, nullam penitus inveniemus. Nec enim ille quibuſcumque adhibebatur ornatus, ſed iis modo (ſi priſcas tabulas obſervamus) qui cum dignitate eſſent, ac imperio; Pontificibus Maximis, Epiſcopis, nonnumquam Monachorum Præſulibus, Imperatoribus, ac Regibus, qui cum poteſtate populis præeſſent. Tametſi non imperii, vel dignitatis inſigne id fuit, veluti principibus coronæ ſunt, & ſacrorum antiſtitibus infulæ, vel tiaræ; ſed teſſera vitæ, ac morum, qui eos, gradumque eorum maxime deceret. Decere autem τὸν ἄρχοντα τελείαν ἔχειν τὴν ἠθικὴν ἀρετὴν *eum, qui aliis imperat perfectam habere moralem virtutem*, noſtri quidem omnes ſenſere; Ariſtoteles (1) vero etiam demonſtravit. Ceterum virtutem fere univerſam in quatuor veluti cardinibus verti omnes conſentiunt, quos vero prudentes, fortes, juſtos, ac temperantes eſſe conſtat, eos τετραγώνους *quadratos* tum exteri, tum noſtri ſapientes nuncupaverunt: Methodius (2) Martyr, qui χερσίτε, νόωτε τετραγώνους, *actione vitæ, & conſilio quadratos* dixit; Alexandrinus (3) Clemens, qui de hoc fuſe, multiſque diſputavit; Origenes (4) Adamantius, qui arcæ ligna quadrata de chriſtianis ſapientibus accepit; Ambroſius (5) Mediolanenſis antiſtes, qui Origenis ſententiam eſt ſecutus; Gregorius Nyſſenus (6), qui hunc de quadrato homine chriſtiano locum, cum Moyſis vitam enarraret, luculenter tractavit; denique Auguſtinus (7), ejuſque adſtipulator Gregorius Magnus (8): *Illum qui*, ut ipſe ait, *quadrari negligeret, indignum plane putavit, qui chriſtiano nomine cenſeretur. Chriſtianus*, inquit, *in omni tentatione ſua non cadit; nam quadratum lapidem quacumque verteris, ſtat; ſic ergo quadramini ad omnes tentationes parati.* Ergo populo chriſtiano præfectis, quos quædam inſtituti, atque conſuetudinis perfecta ratio deceret ad bene, beateque vivendum,

Auctoris ſententia.

(1) Polit. libr. 1.
(2) Libr. de Virgin.
(3) Libris Strom.
(4) Hom. 2. in Gen.
(5) Libr. de Noe, & arca.
(6) Libr. de vit. perf.
(7) In Pſal. 86.
(8) In Ezec. hom. 21.

vendum, illud affigere ſymbolum majores, hac potiſſimum de cauſa, conſueverant, eccleſiaſticis quidem paſſim, ac frequentiſſime, non item laicis principibus: quibus, qui ante Leonem III. id attribuerit, auctorem, quem proferam, habeo neminem. Quamobrem Ingobertus in præclara, omnibuſque ornamentis inſtructa Caroli Magni tabula, quam infra tertiodecimo capite opportuno loco proferam, a quadrato quidem inſigni, utpote proprio Sacerdotum, ut in *eccleſiaſticis* noſtris docemus, abſtinuit; illum autem virtutum quaternionem, vel τετρακτὺν, ut ipſe nominavit, Juſtitiam, Prudentiam, Fortitudinem, ac Temperantiam, expreſſis ſingularum imaginibus, Carolo Regi ad caput appoſuit, ſubſcriptoque carmine cur eæ potiſſimum imagunculæ adpictæ forent, quidve maxime referrent, declaravit:

Rex cæli Dominus ſolita pietate redundans
Hunc Carolum Regem terræ dilexit herilem.
Tanti ergo officii ut compos valuiſſet haberi,
Tetractii implevit virtutum quatuor alma.
Imminet hæc capiti de vertice cuncta refundens,
Denique ſe primum, tunc omnia rite gubernat
Prudenter, juſte, moderate, fortiter atque.

Cum igitur quadratum illud inſigne non tam ſuperſtitis vitæ, quam perfectæ, atque omnibus numeris abſolutæ argumentum, & inditium eſſet, minime mirum videri debet, ſi id Leo tribuit Conſtantino Imperatori apte ad dignitatem, apte ad eam, quæ dignitati conveniret, morum, vitæque perfectio. Quin & caute Leonem id feciſſe videre mihi videor, cum eccleſia Romana, ac omnes Occidentis populi ab illa de Conſtantini vitæ ſanctitate ſententia ſemper abſtinuerint, quæ Orientalibus olim arriſit. Nec intereſt, quod apud Siculos Conſtantini templum aliquando fuerit, cum a Græcis poſitum id eſſe conſtet. Neque etiam, quod una, aut altera Conſtantini imago Romæ orbiculari diademate, & ſanctitatis titulo inſignis reperta ſit: nam Imperatorum, Regumque eam fuiſſe conſuetudinem demonſtravimus, ubi ad Ανέκδοτα Procopii, Juſtiniani ſanctimoniam iis confirmari argumentis minime (Conſtantini quadratum inſigne.)

 poſſe

poſſe oſtendimus. Nam non modo *ſanctum*, ſed & *ſanctiſſimum*, & *diviniſſimum*, & *noſtra divinitas*, *noſtrum numen*, & quid non uſurparunt olim Imperatores? Orbiculari autem figura ornatæ extant etiamnum Romæ Salomonis imagines in ſacello ſancti Sylveſtri ad ſanctorum quatuor Coronatorum ædem; eum vero in eccleſia chriſtiana honore, qui ſanctis debetur, cultum fuiſſe quis dicat? Vides denique in utraque hac tabula dignitatis eccleſiaſticæ modum, formamque, ad præſcipta canonum, ſervatam; ut honeſtiore loco ſint Pontifices, ſecundum ab iis gradum teneant Imperatores. Quem ſane modum inde ab Apoſtolorum temporibus definitum eſſe, qui eos audivit Ignatius martyr ſanctiſſimus teſtatum reliquit: Γίμα, φησιν, υἱὲ τὸν Θεὸν, καὶ Βασιλέα. Ἐγὼ δὲ φημι, τίμα μὲν τὸν Θεὸν ὡς αἴτιον τῶν ὅλων καὶ κύριον. Ἐπίσκοπον δὲ ὡς ἀρχιερέα Θεοῦ εἰκόνα φοροῦντα, κατὰ μὲν τὸ ἄρχειν, Θεοῦ, κατὰ δὲ τὸ ἱερατεύειν, Χριστοῦ. Μετὰ δὲ τοῦτον τιμᾶν χρὴ καὶ Βασιλέα. *Honora, inquit, Deum & Regem. Ego vero dico, honora Deum, ut omnium auctorem, & Dominum; Epiſcopum vero, ut Principem Sacerdotum imaginem Dei ferentem; Dei quidem propter principatum, Chriſti vero, propter ſacerdotium. Poſt eum vero honorare oportet, & Regem.* Cum vero duplex ſit priſca loci conſtituendi ratio eccleſiaſtica, ut alibi diſputavimus, Leo III. non quæ paſſim in antiquis cernitur imaginibus, & hæreticis de Petri, Paulique dignitate dubitandi occaſio fuit; ſed Romanam retinuit, quam ipſe ut cum maxime obſervavit, non ſolum hic in utriuſque Imperii tabulis, ac in teſtudine cameræ, ubi Petrus alieno quam in vetuſtis muſivis ſtat loco: ſed etiam in aliis eccleſiarum iconibus, quas eum poſuiſſe novimus. In æde ſanctæ Suſannæ ita ſanctorum vultus effigieſque collocavit; medium, *Chriſtum Dominum*; dexteros, *Virginem matrem*, *Petrum Apoſtolum*, *Suſannam Virginem*, *ſe ipſe*; ſiniſtros, *ſanctum Paulum Apoſtolum*, *Cajum Papam*, *Gabinum Presbyterum*, *Carolum Magnum*. Quæ locorum diſponendorum ratio, licet a nonnullis etiam Romanis Pontificibus ſervata ſit, alteram tamen illam frequentiorem fuiſſe, & antiquiorem,

Eccleſiaſticorum prælatio.

Diverſa prælationis ratio.



pag. 44.

p. 40.




p. 66.

pag. 87.



pag. 71.



Tabula V.


Tab. VI. pag. 45.
SCS PE TR VS
SCSSIMVS D N LEO PP.
DN CARVLO REGI
BEATE PETRE DONA
VITA LEONI PP E BICTO
RIA CARVLO REGI DONA

rem, in iis libris demonſtramus, quos *de eccleſiaſtica prælatione* conſcripſimus. Eam interim rationem (dum ii limantur libri) hoc in lapide contemplare; qui eadem illa Leonis ætate Ticini in Baſilica ſancti Michaelis a Longobardorum Regibus cælatus eſt, ad eam plane actionis, atque negotii ſimilitudinem, ad quam hæ ambæ depictæ ſunt a Leone tabulæ; ut hic tempora, ingenium, conſuetudinemque facile comparare poſſis: & ex inſcriptione lapidis titulum noſtræ hujuſce tabulæ, qui exceptoris incuria deperiit, coniicere, ac propemodum ſupplere queas. Tab. V.

C A P. X.

Siniſtræ partis Muſivum quid denotet.

DE Imperio Romano a Græcis ad Gallos, Leonis III. Pontificis Maximi auctoritate, translato, tam explorata, tam gravia veterum habentur apud virum clariſſimum Cardinalem Bellarminum (1) teſtimonia, ut in rem tanti momenti, ad eludendam hæreticorum pertinaciam, neque eſſe, neque deſiderari majora queant. Hic autem en tibi rem publico teſtatam monumento; quod unum, ſi omnia, quæ eximius vir ille in medium adduxit, deſideraremus, inſtar omnium eſſe poſſit. Imperii translati monumentũ. Tab. VI:

Id, ut præfatus ſum, plerique ante nos viri graviſſimi non otioſe ſunt contemplati; ex quibus Marcus Welſerus cum ab hinc annos ferme quadraginta Romæ, ſapientum olim hominum more, peregrinaretur, ita oculis, ac animo id perluſtrare ſolebat, ut exemplum ſumma diligentia, ac fide ſibi deſcribendum curaverit, doctiſque viris paſſim ejus videndi copiam fecerit. Vidit, præter alios, Jacobus Gretſerus; qui, *Romæ*, ait (2), *in aula Leoniana extat ex opere vermiculato imago ſancti Petri pallium tribuens Leoni III. Pontifici, & Imperium Carolo Magno. Sedet ſanctus Petrus in ſolio, dextra dat Leoni orarium, ſiniſtra porrigit vexillum Carolo genibus flexo, inſigne Imperii. Ipſe* Conſilium monumenti ſtatuendi.

(1) Libr. 1. de transl. Imp.

(2) Libr. 2. de Cruc. cap. 39.

Ipſe quoque ſanctus Petrus orarium habet. Has imagines bona fide ex archetypo expreſſas vidimus beneficio Marci Vvelſeri II. viri Auguſtani. Quamquam vero dubium non eſt, Caroli Magni ſimulacrum a Leone, more majorum, illatum fuiſſe in Baſilicam Juliam, *labratis* Cæſarum imaginibus, quæ quondam in provincias mittebantur, deſtinatam; hoc tamen in Triclinio ejus fortaſſis collocatæ cauſam Leo indicandam curavit. Nam videtur neſcio quid arcani hæc tabula continere; in qua Carolum genu ſubmittentem vides, Leonem duplici inſignem pallio, Petrum Apoſtolum rei neſcio cujus auctorem, & pro tribunali ſedentem arbitrum, ac vindicem; inſcriptiones demum, ac titulos plures, atque tanti negotii velut interpretes. Quæ ſingula ut explicatius evolvamus, res ipſa cum primis requirere videtur. Qui Leonis III. caſum memoria tenet, videt plane hic ejus reſtitutionem, Carolumque Imperatorem inauguratum, eccleſiæ autem Romanæ in utraque re auctoritatem, ſuis ut ajunt, coloribus delineari. Etenim reſtitutionem Leo ſuam, & Sylveſtri Pontificis diverſis quidem ſignis, non alienis tamen a Romanorum Pontificum, & Petri ſucceſſorum præſtantia, *clavibus*, *pallioque* denotavit. Quæ ſiquidem poteſtas argumento clavium antiquitus intelligebatur, hæc poſterioribus deinde ſæculis *pallii* quoque agnoſcebatur veluti expreſſa, propriaque imagine. Certe *pallium*, Leonis ætate, ad Petri Apoſtolorum Principis dignitatem, quæ eadem Pontificis Maximi eſt, ſignificandam, adeo fuit accommodatum inſigne, ut Monachis, cum ex præſcripto legum cœnobicarum ſilentii religione tenebantur, ſi forte Petrus commemorandus ſilentio fuiſſet, *pallii* ſigno, ac geſticulatione iis legibus ita exprimebatur: *Pro ſigno ſancti Petri*, lex ait (1), *manum dextram ab humero dextero deorſum uſque in finem pectoris trahe, eo modo de ſiniſtro ad dexterum, propter ſimilitudinem pallii, addens hoc, ut manu cava coronam in capite ſimules*. Nimirum æque appoſitum *pallii* fuit inditium ad Petrum Apoſtolorum anteſignanum indigitandum, ac *tonſuræ* ſignum, quam a Petro in

Reſtitutio Leonis III.

Pallii ſignificatio.

(1) Libr. Reg. Monach. ex Bibl. Palat.

in univerſum Clerum manaſſe nemo neſcit. Hinc ritus ille patrum vetuſtiſſimus, ut licet in Pontificum Maximorum litteris, inde a Leonis III. tempore, una Petri, Paulique dignitas, poteſtas, auctoritaſque celebretur; pallia tamen quæ primariis dabantur provinciarum antiſtitibus, *de Principis Apoſtolorum corpore* duntaxat, non de Pauli collegæ monumento ſumerentur; quo illa, quam pallium denotat, plena poteſtas, ex uno Petro, quaſi ſuo fonte, in alios derivari intelligeretur. Quamobrem ne religionis tantum, ac pietatis ergo pallia *de corpore ſancti Petri* deſumi crederentur, Gregorius Magnus tum Leandro antiſtiti, tum aliis, *de beati Petri Apoſtoli ſede*, hoc eſt, eccleſia Romana, pallia tranſmittere ſe profitetur. Hoc ergo apprime convenienti, aptoque pallii argumento in Petri ſedem reſtitutum ſe Leo declaravit; atque ita reſtitutum, ut altero, quo, Pontificum ritu, amictus eſt pallio, nunquam ſua ſe eccleſia ejectum, privatumque fuiſſe probet. Caroli vero conſecrationem non ex ſolemnibus cæremoniis, quæ in anguſta tabula ob oculos poni haud facile poterant, ſed e vexillo, & imperatorio plaudamento, coronaque indicavit. Religiones tamen illas, quibus initiatus eſt Carolus Imperator, luculentius quam quiſquam latinus ſcriptor æqualis memoriæ commendavit Theophanes (1), qui a Leone Papa Carolum affirmat oleo perunctum *a capite uſque ad pedes*, & ornatum *Imperatoria veſte*, atque *corona*. Quæ quidem duo poſtrema inſignia Imperii hæc etiam exhibet imago. Quod vero ait Carolum tam profuſe, ſplendideque delibutum, græco ejus ætatis loquendi genere ritum ſignificavit, qui Græcis non eadem, atque Romanis ratione uſurpabatur. Illi, caput ſolummodo, Romani, ſuis Imperatoribus etiam brachia, humeros, ſcapulas, & quidquid ſedes virium, ac roboris eſſe videtur, ſacris oblinire unguentis conſueverunt. Niſi forte uberiorem, quam hodie ſit, Leo ritum olim habuerit; vel Gallorum, ut reor, conſuetudine cumulaverit, qui præterea pectus, & tergum, & manuum volas, & brachiorum ſuffragines ſuis Regibus, inde

Duplex Leonis pallium.

Caroli inauguratio.

Unctio.

(1) In Chron.

inde a Colodovæi tempore, deliniunt. Græculus ſchiſmaticus Theophanis ſententiam, conſuetudinemque latinam minime aſſecutus, neſcio quid in facto Leonis, Romanoque ritu hebraicæ ſuperſtitionis ridere videtur.

. . . . . . τὸν Κάρουλον ὁ Λέων (1)
Ἀναγορεύει Κράντορα τῆς παλαιτέρας Ῥώμης,
Καὶ στέφος περιτίθησιν ὡς οἱ ῥωμαίων νόμοι.
Οὐ μὴν ἀλλὰ χρησάμενος καὶ νόμοις Ἰουδαίων,
Ἐκ κεφαλῆς μέχει ποδῶν ἐλαίῳ τοῦτον χρίει.
Οὐκ οἶδα τίσι λογισμοῖς, ἢ ποίαις ἐπινοίαις.

Tum vero Carolum Leo Romæ veteris Imperatorem renuntiat; neque tantum corona caput ejus, more Romano, cingit; verum etiam legibus Judæorum uſus, a capite ad pedes oleo totum perungit. Quod quibus ex cauſis, ac rationibus factum fuerit, equidem ſcire nequeo. Quaſi vero uſum Reges oleo perfundendi Græci ex profana aliqua palæſtra, non e ſacris Hebræorum, ac Samueli a Deo traditis cæremoniis acceperint. Non ne videt Græcos, ut Codinus Georgius (2) aſſeverat, ſolemnem illam, ad Imperatorum unctionem, uſurpaſſe, terque geminaſſe acclamationem Ἅγιος, *Sanctus*; &, quemadmodum olim Hebræi, Reges *unctos*, & *Chriſtos* vocavere, ſic a Gentilibus ſuis Cæſares *ſanctos* nominari; quin & orbiculari diademate donari, quod ſanctis more majorum impertimur? Quorum alterum prorſus devitavit Romana modeſtia. Diadema vero, vel omnino Cæſaribus negavit, vel, quod Leonem in hac tabula feciſſe videmus, quadratum conceſſit. Carolum dum iniret imperium, ſacro perfuſum unguento a Leone III. Claudius Rangolius (3) ea ratione negavit, quod, ut Gallorum Reges ſolent, delibutus jam antea fuiſſet, quodque de eo nihil Eginhartus, nihil annalium Francorum auctor meminerint. At Theophanis illam narrationem non modo ſua probavit verſione Bibliothecarius, ſed ea etiam, quam de Ponti-

(1) Conſtant. Manaſſ. in Chron.
(2) In libr. off. Pal.
(3) Ad 1. libr. Reg. cap. 9.

Pontificibus edidit hiſtoria (1). Ludovicus vero II. Caroli pronepos ſuo magis magiſque teſtimonio confirmavit: *Francorum*, inquit (2), *Principes primo Reges, deinde Imperatores dicti ſunt, ii duntaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc oleo ſancto perfuſi ſunt; in qua etiam Carolus Magnus abavus noſter unctione ejuſmodi per ſummum Pontificem delibutus, primus ex gente, & genealogia noſtra, pietate in eo abundante, & Imperator dictus, & Chriſtus Domini factus eſt*. Ad reliqua quæ tum ſolemni peracta cum cæremonia ſunt, addit auctor illorum temporum æqualis (3) *a Leone Pontifice poſt laudes dictas, Carolum, more antiquorum Principum, adoratum fuiſſe*; idemque carmine poeta memoravit, qui Arnolpho Imperatore floruit: Adoratio.

Poſt laudes, igitur dictas, & ſummus eumdem
Præſul adoravit, ſicut mos debitus olim
Principibus fuit antiquis.

Hic porro ille Regum adorandorum mos eſt, quem Samuel, auctore Deo, primus invexit, & poſteris imitandum reliquit; nam primum Hebræorum Regem conſtituturus (4) *tulit lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eſt eum*. Ita plane Leo Carolum Cæſarem, ut ii auctores autumant, *adoravit*. Qui enim *adorare*, idem eſſe quod *deoſculari*, ſeu libato oſculo ſalutare, non intelligit, is enim vero græcæ, latinæque omnis eruditionis rudis ſit oportet; quem vel illa inerudita Caroli Magni ætas (ne longius abeamus) docere id poſſit. Siquidem Taraſius Patriarcha (5) Conſtantino, & Irenæ Imperatoribus ita προσκυνεῖν ex ipſa vocis notatione eſt interpretatus; ita Albinus Flaccus (6) Anaſtaſii illud de Carolo, & Leone, *pariter ſe amplectentes cum lacrymis ſe oſculati ſunt*, carmine extulit (7):

Extemplo properans Carolus veneranter adorat,
Pontificem amplectens magnum, & placida oſcula libans.

G Impe-

(1) In Leon. III.
(2) In epiſt. ad Baſil. Imp.
(3) Auctor annal. Franc.
(4) Libr. 1. Reg. cap. 9.
(5) In epiſt. ad Impp.
(6) In Leon. III.
(7) In carm. de Leon.

Imperatoris autem adorandi, ſalutandique non unus modus, Procopio teſte, vel dignitas fuit. Pectus, Patricii (1), hoc eſt Cæſaris, ſeu reipublicæ patres; ceteri manus, pedes pro dignitate deoſculabantur. Auguſti ora, faciemque oſculo proſequendi facultatem, libertatemque non unus habuit Pontifex Maximus, ſed quivis ſacrorum Antiſtes. Ambroſius enim Mediolanenſis (2) Epiſcopus Maximi ad oſculum aſſurgentis oſculum reſpuit, quod ab eo, præter Epiſcopi dignitatem, in Prætorio, & inter *Conſiſtorianos* audiretur. *Quid*, ait, *oſcularis eum*, *quem non agnoveris? ſi enim me agnoviſſes*, *non hoc loco audires*. Hæc in iis de *eccleſiaſtica prælatione* libris uberius diſputamus. Igitur cum totam illam rituum celebritatem, ac inaugurandi Cæſaris pompam hujus, ut dixi, tabulæ anguſtiæ minime caperent, Leo rei totius veluti ſummam fecit, eamque ſubſcripta acclamatione, qua Carolum a Senatu Populoque Romano renunciari Cæſarem juſſit, denotandam curavit. Conceptis illis verbis, vocibuſque ſolemnibus perſonare adhuc hiſtorias audimus: *Carolo piiſſimo* (3) *Auguſto*, *a Deo coronato*, *magno*, *pacifico*, *Imperatori Romanorum vita*, *& victoria*. Quamquam iis populi plauſibus Leoni Pontifici Maximo tantæ rei auctori acclamatum, atque eundem & Carolum Petro Apoſtolo, in cujus templo ea peracta ſunt, devotos publice fuiſſe, & veroſimile eſt, & inſcriptio perſpicue teſtatur:

Populi acclamationes

BEATE. PETRE. DONA
VITAM. LEONI. PP. ET. BICTO-
RIAM. CARVLO. REGI. DONA

Auctoritas reſtituendi Leonem, & inaugurandi Carolum.

Reſtat hujus emblematis tertia pars, atque illa quidem præcipua, ex qua nimirum, & reſtituendi Leonis, & inaugurandi Caroli Auguſti intelligas auctorem. Quis neſciat Caroli Magni opera Leonem III. ad priſtinum gradum fuiſſe revocatum? Cui nam ex recentioribus hæreticis facile perſuaſeris Imperii Romani dignitatem non ex Senatus conſulto, vel populi, plebiſque ſcito decretam Carolo fuiſſe? Hic tamen Petrus ſedet ſuæ utrique auctor amplitu-

(1) In Vita Juſtin.
(2) 5. libr. ep. 27.
(3) Auctor annal. Franc. Anaſt. in Leon. III.

amplitudinis, & gradus, alteri pallium, alteri vexillum tradens. Tradere quidem auctoritate ſua facile videri poterat, qui ita pro tribunali ſedet, verum ut id expreſſius denotaretur, tabulæ magiſter addidit auctoritatis inſignia, palliumque ab humero ſuſpendit, & claves in ſinu repoſuit. Hiſce utraque poteſtas, notata quomodo ſit, paucis jam explico. Sed ante alia non ut in ſcenicis machinis Petrum e cælo delapſum hic tam vario ſymbolorum apparatu introduci a Leone credere fas eſt, cum illa non tam Petri effigies, quam ſimulacrum, & quod vocant hieroglyphicum eccleſiæ Romanæ ſit, quæ nullo aut pingi aptius, aut exprimi luculentius, quam Petri Apoſtoli ſigno queat. Familiare id, & aliis Pontificibus fuit. Ante Leonem Stephanus III. ſuo, & eccleſiæ Romanæ nomine Pipinum Romanorum Patricium contra Longobardos in Italiam evocaturus, Petrum Apoſtolum in concionem inducit, qui ea omnia faciat, dicatque, quæ ipſe Pontifex in eam rem coram diſſeruiſſet. Nam Urbis periculum Petrus narrat, ejus defendendæ curam a Pipino ſuſceptam memorat, ni periclitanti eccleſiæ præſto ſit minas intentat, denique ſibi, & Stephano Pontifici, & eccleſiæ Romanæ cauſam eſſe communem dicit tota illa oratione, ut ſtatim epigrapha declarat (1): *Petrus vocatus Apoſtolus a Jeſu Chriſto, & per me omnis Dei Catholica, & Apoſtolica Romana eccleſia, atque ejuſdem almæ eccleſiæ Stephanus Præſul, gratia, pax, & virtus ad eruendam eandem ſanctam Dei eccleſiam, & ejus Romanum populum mihi commiſſum de manibus perſequentium, plenius miniſtretur a Domino noſtro vobis viris excellentiſſimis Pipino, Carolo, & Carolomanno tribus Regibus &c.* Ad eum plane modum Leo hic Petrum inducit. Ac ne de eccleſiæ Romanæ, ſub eo ſymbolo repræſentandæ conſilio quicquam dubitaretur, certum id Leo fecit novo illo, & plane inuſitato veſtium apparatu. Nam *pallium*, hoc eſt ſacrum illud amiculum crucibus inſigne conſuetis Petri veſtibus injecit; quod & majorum conſuetudini, & ſacris, ut ſupra diſſerui, religionibus minime

Petrus hieroglyphicū Eccl. Rom.

Cur Petro pallium.

G 2 conſen-

(1) Apud Bar. ann. 755.

conſentaneum eſt, ſi Petri perſonam, dignitatemque ſpectemus; valde vero conſentaneum, ſi eccleſiæ Romanæ id eſſe intelligas ſimulacrum, & concinnandorum rationem ſymbolorum perpendas, in quibus vel diſparia diſſentaneaque conjungi ſolent in unam rei arcanæ ſignificationem. Itaque Petri imago, Apoſtolorum more, interius quidem tunicata, exterius vero penulata eſt; contra quam ejus exempla (quod non eſt diſſimulandum) Franciſcus Penia, & Angelus Maſſarellus, viri antiquitatis eccleſiaſticæ conſulti, nobis exhibuerunt; qui Petrum tunicatum ſolummodo proponunt. Fucum utrique fortaſſe fecit unus idemque ille albus tunicæ, penulæque color, qui, quaſi per hujus tabulæ denſam vetuſtatis caliginem, magis magiſque perſtringit oculos. Rubra tamen tunicæ lora, penulæque rubra littera ſic albis internitent lapillis, ut antiquitatis peritos illa veſtium differentia latere minime potuerit, imo ſuis quamque inſignibus diſtinguere ſpectanti cuique licuerit; ut enim tunica litterata, ita lorata penula eſſe nequit. Egent ſane veteres imagines pleniſſimo lumine, ut commode probeque perſpiciantur, id eſt antiquitatis eccleſiaſticæ varia, multiplicique notitia, & hiſtoria; quibus ſi careas, allucineris neceſſe eſt, ut qui tabulas neque in ſuo, neque in bono lumine contemplantur. Propoſuit igitur Leo penulatam, tunicatamque imaginem, & utroque amictu, ad Apoſtolorum conſuetudinem, albatam, ut Petrum oſtenderet; *pallio* autem, hoc eſt, ſacro illo humerorum redimiculo amicivit, ut in Petro, Romanam eccleſiam intelligendam eſſe moneremur. Nam præterquam quod *pallii* deferendi, aliiſque impartiendi poteſtas penes Romanam eccleſiam, Pontifices inquam Maximos tantum eſt; præterea nemo ſacrum illud indumentum antiſtiti Romano, dum initiatur (nimirum nec dum reſtituitur) imponere poteſt, niſi qui differendi pallii facultatem habeat, quam in eum finem Oſtienſi epiſcopo a Marco Papa factam olim accepimus (1). Quemadmodum autem unus eccleſiaſticorum ordo legitimum, ſummumque antiſti-

Jus reſtituendi Pontifices.

(1) Anaſt. in Marc. Papa.

antiſtitis creandi jus habet, ita & ejecti reſtituendi integram poteſtatem. Etſi enim Carolus dum Leo in ſuum gradum revocabatur, nefariorum hom num turbas compeſcuit, pervicaciamque ſuperavit, Cleri tamen Romani calculo, ſententiaque Leo in ſuam eſt dignitatem aſſertus. *Amplectens*, inquit Anaſtaſius (1), *præfatus venerabilis Pontifex* (Leo III.) *ſancta Chriſti quatuor Euangelia, coram omnibus aſcendit in ambonem, & ſub jurejurando clara voce dixit: Quia de iſtis falſis criminibus, quæ ſuper me impoſuerunt Romani, qui inique me perſecuti ſunt, ſcientiam non habeo, nec talia egiſſe me cognoſco. Et hoc peracto omnes archiepiſcopi, & abbates, & cuncti clerici litania facta, laudes dederunt Deo, atque Dei Genitrici ſemperque Virgini Mariæ Dominæ noſtræ, & beato Petro Apoſtolorum Principi, omnibuſque ſanctis Dei*. Nam iis laudibus, quas *litanias* vocat Anaſtaſius, repetito ad ſingula ſanctorum nomina intercalari illo carmine, *tu illum adjuva*, Pontificis redintegratio, ſeu reſtitutio, more majorum, non ſecus ac electio cumulari conſueverat. Nam cum reſtitutio quædam ſit electionis inſtauratio, non magis ritibus iiſdem, atque religionibus celebrabatur, quam eorum calculo, & auctoritate, penes quos eſſet electio. Quod & in Symmachi Papæ reſtitutione factitatum narrat Bibliothecarius (2): *Beatus*, inquit, *Symmachus congregavit epiſcopos centum per quindecim, & facta Synodo, purgatur a crimine falſo &c. Tunc ab omnibus epiſcopis, & presbyteris, & diaconibus, & omni clero, vel plebe redintegratur Sedi Apoſtolicæ Symmachus, ut cum gloria apud beatum Petrum ſederet præſul*. Non ergo ſua Carolus auctoritate Leonem reſtituit. Sed cum divino plane nutu hæc ſuperſit priſcorum imago temporum, ac tum geſtorum ſimplex veraque hiſtoria, eam contemplentur (3), qui ementitam, ac prorſus umbratilem ſynodum in medium proferunt, in qua Pontificum electionem, Romanæque Sedis ordinationem (4) Hadrianus I. Carolo permiſiſſe dicitur. Neque enim hic Carolum deprehendent

pro

(1) In Leon. III.
(2) In Symmacho.
(3) Goldaſt Ration. conſtit. Imp.
(4) Morn. hiſtor. Pap.

pro tribunali jura eccleſiaſticis dantem, gradum, ſedemque Leoni decernentem: quin ex hac tabula illius Synodi detegent impoſturam. *Ab Hadriano Pontifice jus illud Carolo Auguſto conceſſum* affirmatur. Scilicet Hadrianus Carolo epiſcoporum ordinationes tum conceſſiſſet, cum eaſdem ab Orientis Imperatoribus (ut extremo capite dicam) in Calabria, Siciliaque occupatas tam ſevere repetebat, ut eos, niſi parerent, ſacris, templiſque prohibiturum ſe minaretur. Sed ex hac una tabula modo ſufficiat argumenta depromere. Ergo ab Hadriano Pontifice jus illud Carolo Auguſto conceſſum in pſeudoſynodo affirmatur. *Carolo Auguſto*? Quis neſciat longe poſt Hadriani mortem eum Auguſtum fuiſſe ſalutatum? ſed ſit ita ſane. Quid ſubditur? *Auguſto tum dignitatem patriciatus collatam fuiſſe.* At Carolum jam Cæſarem non ſumpſiſſe, ſed ut par erat, depoſuiſſe *patricii* nomen a ſcriptoribus illius ætatis accepimus. *Ac deinde*, inquit Francorum auctor annalium, & Ado Viennenſis, *omiſſo Patricii nomine, Imperator & Auguſtus eſt appellatus*. Addit præterea commentitium illud decretum: *Factam Carolo poteſtatem ordinandi patriciatum*. Creandi patricios fortaſſe dicere voluit, ut Goldaſtus interpretatur; ſi Carolo Imperatori facta ea facultas fuit: nugatorium plane fingis Imperatorem, qui ea pridem poteſtate caruerit: ſi Carolo patricio; inauditum eſt in omni memoria reipublicæ Romanæ, ut a ſolo patricio patricii conſtituerentur. Verum impoſtor ille non ſolum ignorare videtur quis ordo, quæ dignitas fuerit illa patriciatus; ſed etiam qualem attulerit Carolo auctoritatem cum Romæ, tum in Italia; de qua re mox diſſeram. Quis vero Theodoricum Niemum, Melchiorem Goldaſtum, Philippum Mornæum, alioſque non miretur, qui has nugas tanti eſſe ponderis credunt? Verum eſto, concedatur tanta decreti illius indignitas: reſtituerit, ſi ita vis, Carolus Leonem ſuo jure, ſua auctoritate, munuſque hoc ſuum obierit ſumma cum dignitate, majeſtateque. Quid vero? Tantæ dignitatis, tantæ auctoritatis nullam Leo rationem habuit? nullum hac in imagine veſtigium expreſſit? Contra vero atque oportebat omnia fecit; honeſtiori ſe ipſe loco



Tab. VII. *pag.* 55.



loco conſtituit, Carolo minus honeſtum reliquit; genibus eum niti voluit; in ſubſcriptis acclamationibus, illo poſthabito, primos ſibi ipſe plauſus aucupavit; in inſcriptione vero æque ſibi, ac Carolo dominii titulum inſcripſit; qui tamquam ſervus Imperatoris, ut Mornæus ait (1), Carolum poſt renunciationem adoravit. Siccine prima ſtatim occaſione obſervatum ſynodi ampliſſimum illud, ac honorificentiſſimum decretum? Vidit hæc Carolus præſens, & æquo animo tulit? Ergo ne ad caſſum privilegium, ſuperatis alpibus, Romam accurrit? Sed quid ego de Leone reſtituto Romanæ eccleſiæ auctoritate diſputo? Nonne Carolum Magnum eadem auctoritate Cæſarem fuiſſe conſtitutum hæc loquitur imago? Accipit ille vexillum ab eccleſia Romana, vel ſi dicere mavis, a Petro; utrumvis autem dixeris, res, ut expoſui, redit eodem. Venerabundus genu flectit, tanto enim ſe gerit ſubmiſſius, quanto ſuperiorem agnoſcit poteſtatem, ex qua imperialis potentia in ſe derivatur. Nimirum ſuperiorem eam poteſtatem tergeminæ inditio clavis auctor imaginis, quoad fieri potuit, luculentiſſime declaravit. Majores etenim noſtri, qui, in tabulis, Petri poteſtatem unius interdum clavis ſymbolo ſatis indicaſſe viſi ſunt ſibi, eodem plerumque geminato ſymbolo, ligandi, ſolvendique jus, quod ea poteſtas complectitur, explicatius ſignificaverunt; quo triplicato jus idem pleniſſimum, ampliſſimumque ternarii ratione denotari voluerunt. Iconum hujuſcemodi pingendarum exemplum reddo ex Vaticano codice manu deſcripto ſexcenteſimo nonageſimo nono, cujus antiquitatem membranarum, librique forma quadrata, quadrati apices teſtantur, ritus vero vetuſtatem Chriſtiani, ſeu Chriſtini Græci ſcriptoris teſtimonium, imo Græciæ univerſæ conſuetudo, quam ille ſecutus eſt, comprobat. Is vero auctor, qui Imperatore Juſtino ſeniore ſcripſit, eam ſcribendi amat varietatem, ut quidquid oratione diſputat, id coloribus expreſſum legentibus ob oculos proponat; quare totus imaginum ille ejus plenus eſt liber.

Auctoritas creandi Imperatores.

Tab. VII.

Triplici

(1) Hiſtor. Pap.

Triplici ergo clave cum ampliſſimam Petri poteſtatem majores denotaverint, quid præter geminum illud ligandi, ſolvendique jus, ulterius innuerunt? Scilicet ſenſerunt poteſtatem illam, quæ ad continendam in officio Chriſtianorum Rempublicam Petro conceſſa eſt, jure ſuo longe lateque manare, extendique, cum opus eſt, ad civilem quoque ſtatum temperandum; qui tum optime temperatus, ordinatuſque putatur, cum ne latum quidem unguem a pietate diſcedit, qua una, & uno animorum bono civile omne negotium metitur chriſtiana religio. Tertia igitur clavis munus eſt illud, quod ex ligandi, atque ſolvendi jure conſequitur, nempe ſæcularia ad ſpiritualia dirigendi auctoritas. Quamobrem aptiſſime ad rem præſentem clavis Petro appingitur triplex, quippe qui ſuam illam poteſtatem converterit ad temperandum Imperium, quod ut duobus poſtremis capitibus dicetur, ab avita pietate deſciverat, eccleſiamque Romanam religionis magiſtram, cui præſidio eſſe debuerat, armis, bonorumque ſpoliatione oppugnabat. Nonne vides uno hoc in emblemate quam accurate id Leo ſervaverit, ut illius factum ad hanc ſententiam eo facilius interpretere? In apſidis concha duplicem Petro in læva clavem dedit, ſcilicet poteſtatis indicem; hic vero triplicem, ubi ad ejuſdem poteſtatis regulam Imperium dirigentem illum introducit. Hoc eodem modo Petri depictas imagines ſub Ottone Magno, cum a Joanne XII. Pontifice Romano ad Germanos translatum eſt Imperium, teſtatur Ottonis II. in eodem Imperio primi ſucceſſoris ſepulchrum, cujus hoc
Tab. VIII. muſivum olim ad introitum, ut Ditmarus ait (1), *orientalis paradiſi*, hoc eſt atrii templi Vaticani veteris exſtabat, noſque vidimus; hodie vero in crypta confeſſionis ſancti Petri integrum aſſervatur. Nempe duo illa hujus tempeſtatis hæreticorum placita una Leonis III. tabula, quam modo explicavimus redarguit. Carolum eligendorum Pontificum, Apoſtolicæque Sedis ordinandæ jus habuiſſe, ac Imperium Romanum a Leone III. nequaquam accepiſſe. Sed uberius de hoc infra dicam. CAP. XI.

(1) Chron. libr. 3.

Tab. VIII. *pag. 56.*



C A P. X I.

Inſcriptio Caroli imaginis explicatur.

RItus ſolemnes, quibus eſt inauguratus Carolus Auguſtus, commodius quam Leo III. in exigua tabula, ſcriptores expoſuerunt; traditi vero jus imperii æque in hiſtoriis contineri videtur, atque in ea breviſſima inſcriptione:

D. N. CARVLO. REGI

Hanc enim detorquere ad Caroli Patricii Romanorum, Francorumque, & Longobardorum Regis dignitates non licet; quas ille partim Hadriani Pontificis arbitrio jam dudum obtinuerat, partim generis ſucceſſione a Pipino patre multos ante annos acceperat, partim armorum contentione longe ante Leonis Pontificatum acquiſierat. Hæc vero tabula, niſi nos oculi fallunt, nuperam Caroli dignitatem refert, hoc eſt Leonianæ reſtitutionis, cui hoc in emblemate componitur & comparatur, prorſus æqualem. Res erit exploratior, ſi ſingulas inſcriptionis partes perpendamus ad eas Caroli dignitates. Principio quidem Regis nomen Patricio non quadrat, cum ad illud in Italia penitus abolendum, Patricii, ut ſtatim demonſtrabo, ab Imperatoribus fuerint deſignati; tantum abeſt, ut Franciſci Junii (1), ac aliorum vera ſit ſententia, qui Romanorum Patricium, *Dominum*, ſeu *Regem* fuiſſe Romanorum commenti ſunt; vel Goldaſti (2), qui Caroli Patriciatum Imperatoriæ majeſtati exæquavit. Nam de noſtris taceo, qui non tam Caroli Patriciatus propria, quam Patriciorum ordinis communia in medium proferunt. Omnes denique illam Caroli dignitatem quaſi alio cælo natam circumſpiciunt, & alba an atra ſit edicere non ſatis queunt. Sed erant olim, quod nemo neſcit, in Republica Romana Patricii, qui cum reliquo Senatu æquo jure viverent. Conſtantini vero Magni lege, ſi qua Zoſimo (3) fides, proximi maje-

Inſcriptionis ſcopus.

Patricius non eſt Rex

Patriciorū dignitas.

H

(1) De transl. Imp. cont. Bellarm.
(2) In Apol. adv. Gretſer.
(3) Libr. 2. hiſt.

majeſtati Cæſaris facti ſunt, ac Senatoribus, Præfectiſque prætorio gradu, ſententiaque in Senatu dicenda prælati. Quæ hujus Ordinis excellentia ad Juſtiniani uſque dominationem (ſi Procopio (1) credimus) ac diu poſt integra perduravit. Ab Juſtiniani ferme tempore, niſi fortaſſe prius, quod quidem modo non ſuccurrit, dignitati addita eſt præfectura provinciarum. Qui eo carerent munere

Differentia.

provinciæ, ac in urbe, & Senatu præſentes adeſſent, *præſentales* Patricii, ut eſt apud Caſſiodorum (2) vocabantur. Qui præfecturam gerebant, pro ſuarum quique provinciarum more, ac lege nuncupari conſueverant, Proconſules

Patricii Præfecti provinciis.

Africæ, Italiæ Exarchi, Siciliæ Strategi, Prætores Orientis, & aliarum regionum moderatores, Comites, Duces, Præfecti. Verum cum eas non nunquam præfecturas obirent, qui ex Patriciorum gradu non eſſent; Patricii, ne quid ſupremæ in Senatu dignitati ſuæ derogatum videretur, ſuarum titulis præfecturarum Ordinis quoque nomen præponendum curarunt. Quare paſſim apud Gregorium Magnum, Nicephorum Conſtantinopolitanum, Theophanem Iſaurum, Paulum Diaconum, alioſque ea nomenclaturæ forma occurrit: *Patricius* & Exarchus Italiæ, *Patricius* & Prætor Orientis, *Patricius* & Proconſul Africæ, *Patricius* & Strategus Siciliæ; cujuſmodi exemplum eſt illud: *Theophylactus cubicularius, Patricius & Exarchus Italiæ*, apud Anaſtaſium in Joanne VI. *Scholaſticus cubicularius, Patricius & Exarchus Italiæ* apud eundem in Conſtantino, & apud Paulum Diaconum (3). Sed demum (quæ eſt inanis hominum ambitio) neglecto Præfecturæ nomine licet honeſtiſſimo, Patricii ſolummodo provinciarum dici maluerunt. Hinc in Imperio illa Præfectorum omnium ſimilis eademque nomenclatio: Narſes *Patricius in Italia* apud Juſtinianum (4), Salomon *Patricius Africæ* apud Victorem Tunnenſem (5), Priſcus *Patricius Orientis* apud Gregorium Magnum (6), Gennadius (7) *Patricius*, & Venan-

(1) In Anec.
(2) Caſſiod. Var. libr 8. epiſt. 9.
(3) De geſt. Longobard. libr. 6. c. 11.
(4) In dipl. apud Cujacium,& Vuelſ.
(5) In Chron.
(6) Libr. 2. epiſt. 51.
(7) Libr. 10. epiſt. 44.

Venantius (1) *Patricius* ab eodem ſalutantur, diſſimulato nomine Africæ & Siciliæ, ubi hic Strategum, ille Proconſulem gerebat; Smaragdus *Patricius Ravennæ* apud Paulum Diaconum (2), Daniel *Patricius de Sicilia* in Francorum annalibus (3), Michael *Patricius Phrygiæ* apud (4) auctorem aliorum Franciæ annalium, Dynamius *Patricius Galliarum* apud Gregorium Magnum inſcribitur (5), quem Gregorius Turonenſis Rectorem Maſſiliæ, & Provinciæ novit (6), Arrigius *Patricius de Gallia*, & (7) Aſclepiodotus *Patricius Gallorum* ab eodem Gregorio Magno vocantur Dynamii in eadem præfectura ſucceſſores, apud Paulum Diaconum (8) Amalus, ſive Amatus *Patricius Provinciæ, qui Guntramo Francorum Regi parebat*. Ac ne aliarum civitatum, & provinciarum infinitos numerem, urbanos memoro. Apud eundem Diaconum (9) Gregorius *Patricius Romanus* is dicitur, qui tum Dux etiam nominabatur, apud Hericum Monachum (10) Voluſianus *Urbis Patricius* hoc eſt Præſes, & in veteri lapide (11) TERTVLLVS. DEI. GRATIA. ROMANÆ. VRBIS. PATRICIVS ideſt Præfectus: auctor lapidis more ſui ſeculi loquitur; ille tamen Tertulli non eſt, cum una hujus, & illorum Caſſinenſium ſit impoſtura privilegiorum, quæ alibi exploſimus (12). Denique Suidas cum Patricios πατέρας τοῦ κοινοῦ *Communis patres* definit, non *præſentales* Patricios, quorum nuda dignitas fuit, ſed *præfectorios* intelligit, quorum munus erat provincialibus jus dicere, & præſtare populis præſidium. Porro ſub Juſtiniano (quod dicere cœperam) in Italia odioſo Regis nomine audacia Gothorum, atque tyrannide Imperatoribus facto, poſt eos debellatos, Beliſarius primum, deinde Narſes Patricii & Ducis exercitus titulo inſignes, ut ejus temporis hiſtorici referunt, Italiam rexere. Exinde in provinciam miſſi ſunt *Exarchi*, qui eo

(1) Libr. 10. epiſt. 45.
(2) De geſt. Long. libr. 4. cap. 8.
(3) Ad ann. 799.
(4) Apud Gretſ. con. Junium.
(5) Libr. 2. epiſt. 33.
(6) Libr. 5. ep. 57.
(7) Libr. 12. epiſt. 17.
(8) De geſt. Long. libr. 3. cap. 2.
(9) De geſt. Long. libr. 4. cap. 14.
(10) Libr. 6 vit. s. Germani.
(11) Apud I Dartem in Exerc. in Bar.
(12) In not. ad Anecd. Procop.

demum abrogato nomine, *Patricii*, (quæ jam Imperii lex erat) ſunt appellati. Itaque Patricia dignitas, licet Regiæ proxima, longo intervallo tamen proxima fuit; cum & titulo, & inſignibus, & dominatione Regum careret. Nam provinciæ, cui Patricius præerat, quaſi Prætor Præfectuſque ad Cæſaris nutum moderabatur, ac in officio populos iis, quas Auguſtus præſcripſiſſet, legibus continebat, armiſque ab hoſtibus tuebatur. Inde eſt quod cum defenſorem, ac patronum ſuarum provinciarum, & Urbis Pipinum Stephanus III. & Hadrianus I. Carolum Magnum cooptarent, prompto illo, paratoque *Patricii* nomine, quod tum in Italia ex Imperii conſuetudine uſurpabatur, eos appellaverunt. Quamobrem Carolum Romæ Imperatorem jam renunciatum Patricii nomen depoſuiſſe auctores illorum temporum æquales, quos paulo ante laudavi, in Francorum annalibus narraverunt; *Ac deinde*, inquiunt, *omiſſo Patricii nomine Imperator, ac Auguſtus eſt appellatus*. Idque eo factum eſt, quod Cæſariani miniſtri titulus illum, qui jam Cæſar eſſet, dedeceret. Quid ergo iis Imperatoribus ambo in mentem veniſſet, quos Goldaſtus (1) aſſeverat de inſtaurando Patricii nomine cogitaſſe, cum id Carolus Magnus ſtatim ut Imperator fuit, reſpuerit, ac rejecerit? Quid itidem Patriciatum Goldaſtus (2) Imperatoriæ majeſtati *inſeparabiliter annexum, & perpetui privilegii, & legis æternæ beneficium eſſe* prædicat? Quaſi ſummum ſit hero privilegium, ac beneficium ſi ſervus appelletur, Chremeti ſi Davus in ſcena dicatur. Quamquam Romæ, ac in Pontificum ditione univerſa non illa Carolo, quæ pridem Cæſarianis Patriciis, ſumma rerum poteſtas Prætoria fuit; ſed tutelaris tantummodo, ac ut ita dicam, præſidiaria, quod Carolus ipſe titulorum ſui Patriciatus forma declaravit, quam regiis litteris poſt Francorum, & Longobardorum Regis nomen prænotare hunc in modum ſolebat: *Carolus gratia Dei Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius* Romanorum *defenſor ſanctæ Dei eccleſiæ*. Hoc ſcilicet Caroli Patriciatus erat munus certum, proprium, ac univer-

Patricii, & Regis diverſitas.

Patricii, & Imperat. differentia.

Patricii Romanorũ poteſtas.

(1) Adver. Gretſer. (2) Ibidem.

univerſum; eccleſiæ Romanæ præſto eſſe, eidemque domi, foriſque pacem, tranquillitatemque publicam turbatam vindicare, vindicatamque tueri. Nec dubium, cum in iiſdem litterarum epigraphis *Patricii* nomen ita plerumque diſſimulet, ut id in uno illo *defenſoris* titulo comprehendat, atque concludat (1): *Carolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac defenſor ſanctæ Dei eccleſiæ.* Quare Paulus I. Pipinum a Stephano III. deceſſore ſuo creatum *Romanorum Patricium*, appellare *defenſorem Romanum* conſueverat: *Menſe*, inquit (2), *Auguſti, die ſeptima decima, introduximus corpus beati Stephani Martyris atque Pontificis, tempore Conſtantini, & Leonis Auguſtorum, & Pipini excellentiſſimi Regis Francorum, & defenſoris Romani, indictione quartadecima*. Sed ad Caroli titulorum normam redeo, quam hic unam mihi propoſui. Neque *defenſorem* Carolus ſolutum ſe ſcribit, ac liberum, ut integrum ſibi foret eam defenſionis provinciam ſuſcipere pro arbitratu, vel ſuo conſilio negligere; quandoquidem ſacramenti religionem, qua ſe ſe ea de cauſa Pontificibus, eccleſiæque Romanæ obſtrinxerat, agnoſcit ac profitetur, ubi ſe *defenſorem devotum* in libello capitulorum prænotat: *Ego Carolus gratia Dei, ejuſque miſericordia donante Rex, & Rector Regni Francorum, & devotus ſanctæ Dei eccleſiæ defenſor, humiliſque adjutor*. Quibus vero nominibus, quove ſacramento *devotus* eſſet, aperuit, cum ad Elipandum ſcribens: *filium eccleſiæ* hoc eſt Romanæ, ſe nuncupavit: *Carolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, filius & defenſor ſanctæ Dei eccleſiæ*. Neque enim pietatis, ut fit, ac religionis ergo *filium* ſe dixit; quippe qui, ut ejus appellationis, quam vehementer ambivit, compos fieret, Leonem III. etiam atque etiam per Legatum efflagitaverit (3): *Et paterna*, inquit, *pietate nos in filium ſibi adoptaret dilectionis pacificam unanimitatem*. Quid? ut ſe paterna voluntate Leo proſequeretur, ac filium appellaret? Non erat tanti, ut tam gravem Carolus adornaret, expe-

(1) Ad Offam Reg. Ad Homer. apud Alcuin. epiſt. 83. 85. & alibi.

(2) Apud Baron. ann. 76 .

(3) Epiſt. 84. ad Leon. apud Alcuin.

expediretque Legationem, uti nomen id ſibi a Leone beneficii loco concederetur, quod ex domeſtica conſuetudine a Romanis Pontificibus ne vel infimæ quidem plebis homuncioni negabatur. Sed ſi attendimus animum, *adoptari filius*, diſertis verbis expetiit. *Adoptari* vero? Idque ab eccleſiaſtico viro, a ſacrorum antiſtite, cui ex præſcripto canonum eſſe nequeunt natura liberi? Liceat hic penitius Caroli Patriciatum inſpicere, ac ejus rationem, conditionemque in lucem proferre. Cum *adoptari filius* a Leone Carolus petit, rem petit minime novam, ſi vel ejus ætatis morem, vel Pipini parentis exemplum animadvertimus. Pipinus quidem *Patricius Romanorum* a Stephano III. declaratus, non ſemel FILIVS ADOPTIVUS in iis (1) litteris appellatus eſt, quas, Petri Apoſtoli perſonam inducens, ad eundem Pipinum, obſeſſa a Longobardis Roma perſcripſit. Ex more autem vetuſtiſſimo ea tempeſtate adſciſcebantur cum a privatis hominibus, tum a Regibus, provinciarumque dominis auxiliares viri fortes, bellica virtute, & præclarorum gloria facinorum inſignes, qui privatam familiarum, vel publicam regnorum, ac provinciarum rem tuerentur, ſi quod vel ab hoſtibus aliquando eſſet, vel a civibus timeretur periculum. Ita ſibi filium Zeno Imperator (2) adoptavit Theodoricum Regem Gothorum (3), Theodoricus Regem Herulorum (4), Juſtinus Imperator Eutharicum Cillicam, alii vero alios bello & armis expertos. *Neque enim erat dignus adoptari* (ut Caſſiodorus ait (5) *niſi qui fortiſſimus mereretur agnoſci, & qui ſe prius vellet mori, quam aliquid aſperum videre patribus infligi*. Quare adſciſcebantur data ultro citroque fide certis quibuſdam ritibus, ut eſt in formula Theodorico Regi Gothorum ſolemni (6): *Filium te præſenti munere procreamus, ut competenter per arma naſcaris, qui bellicoſus eſſe dignoſceris; damus tibi equos, enſes, clypeos, & reliqua inſtrumenta bellorum*, ac ſtatim de juramento, ac fide ſubdit: *Ille*

Caroli Patriciatus qualis.

(1) Apud Baron. ann. 755.
(2) Jornand. de reb. Gotic.
(3) Caſſiod. Var. libr. 4. ep. 2.
(4) Idem Var. libr. 8. ep. 1.
(5) Var. libr. 4. ep. 2.
(6) Ibidem.

Ille a te devotionem petit, qui te magis defenſare diſponit. Quod ita innuit Venantius Fortunatus (1):

Utque fidelis ei ſit gens armata, per arma
Jurat, jure ſuo ſe quoque lege ligat.

Qui vero ita adoptarentur, *filii per arma* (ut legere eſt apud Caſſiodorum (2), atque Jornandem (3) in poſterum vocabantur, & ob juramentum defenſionis gratia factum, *defenſores devoti*. Nimirum ad ejuſmodi ſacramentum Hadriano Pontifici dictum Carolus haud dubie reſpexit, cum ſe litteris regiis *Filium ſanctæ Dei eccleſiæ defenſorem*, ac *defenſorem devotum* inſcripſit. Tria enim hæc Romæ Carolus præſtitit: *Filii* pietatem Pontifici profeſſus eſt, eccleſiæ *defenſionem* in ſe recepit, in eamque rem ſe ipſe, data Hadriano fide, *devovit*. Quæ ſingula comprehendit ea legatio, quam pro petitione Patriciatus Romam Carolus deſtinavit. Nam extincto Hadriano Pontifice, quam ab illo acceperat Patriciam dignitatem, & eccleſiæ filii nomen ſibi confirmari a Leone III. ſucceſſore per Angebertum Legatum petiit, ſuamque viciſſim, hoc eſt, filii ac defenſoris fidem Pontifici ſpopondit, & eccleſiæ tutelam. *Illique* (Angeberto (4) *injunximus*, inquit, *ut ex collatione mutua* (cum Leone Pontifice ad quem ſcribit) *conferatis quidquid ad Patriciatus noſtri firmitatem neceſſarium intelligeretis. Sicut enim cum beatiſſimo Prædeceſſore veſtro ſanctæ paternitatis pactum inii, ſic cum beatitudine veſtra ejuſdem fidei, & caritatis inviolabile fœdus ſtatuere deſidero. Quatenus Apoſtolicæ Sanctitatis veſtræ, divina donante gratia, ſanctorum advocatis precibus, me utique apoſtolica benedictio conſequatur; & ſanctiſſima Romanæ eccleſiæ ſedes, Deo donante, noſtra ſemper devotione defendatur*. Nam ut ſibi redintegraretur Romanus Patriciatus, qui, Hadriano mox vita functo, inanis jam erat, ac plane nullus, duas ejuſdem olim ſibi conceſſi proponit Leoni conditiones, *fidei* alteram, alteram *defenſionis*. *Fidei*, inquit, *inviolabile fœdus ſtatuere deſide-*

Patriciatus Caroli confirmatio.

(1) Libr. 6. carm 7.
(2) Var. libr. 4. ep. 2. Var. libr. 8. ep. 1. & 9.
(3) De reb. Getic.
(4) Epiſt. 84. ad Leon. apud Alcuin.

deſidero: hoc eſt *paternitatis pactum*, ut ait, quod cum Hadriano inierat, nimirum *adoptionis*, ad quam ipſe Carolus in Hadriani Pontificis epitaphio reſpexit (1):

Nomina jungo ſimul, titulis clariſſime, noſtra,
Hadrianus, Carolus, rex ego, tuque pater.

Nam a Pontifice qua provinciarum domino, non propagandæ ſobolis cauſa, ſed ditionis defendendæ, adoptatus eſt de more *filius per arma*. Quemadmodum Stephanus III. ad eundem Carolum, Pipinum & Carolomannum (2): *Vos*, ait, ADOPTIVOS *habeo* FILIOS *ad* DEFENDENDVM *de manibus adverſariorum hanc Romanam civitatem*. Etenim univerſum illud *paternitatis pactum*, & *fidei fœdus* in eo tandem, ut ipſe Carolus hic ait, vertebatur, *quatenus ſanctiſſima Romanæ eccleſiæ ſedes noſtra ſemper devotione defendatur*. Caroli ergo Patriciatus quantuſcumque erat, hujuſmodi erat, ut nihil niſi eccleſiæ Romanæ patrocinium, ac defenſionem, eamque ſacramento devotam contineret. Cur igitur a Caroli Patriciatu defenſoris munus diſtinguit Goldaſtus (3) atque hoc illum eccleſiæ impendiſſe contendit, illo vero Romanis jus dixiſſe comminiſcitur? Certe Carolus Patriciatum a Leone renovari ſibi ea tantum re poſtulat: *Quatenus*, inquit, *ſanctiſſima Romanæ Eccleſiæ Sedes noſtra ſemper devotione defendatur*. Pipinus itidem *defenſor Romanus* a Paulo I. ut dixi, vocatus eſt, qui *Romanorum* æque fuit *Patricius*. Mirum illud fortaſſe videatur, quod Carolus ſibi petat inſtaurari Patriciatum, qui ſemper integer ei relinquebatur, cui ſemel in Romana Republica obtigiſſet, *Nam mox datus fuerit Patriciatus, in vitæ tempus reliquum* (Theodoricus Rex ait (4) *homini fit coævus, ornatus individuus, cingulum fidele, quod neſcit ante deſerere, quam de mundo homines exigere contingat*. Nempe illud veriſſimum eſt, atque hinc magis ac magis comprobatur, quod paulo ante diſputavi, Carolum Romanorum Patricium fuiſſe renunciatum, non tam ut in Senatum adlectus in albo Patrum, ſeu Patriciorum conſcri-

Patricius Rom. & defenſor Eccleſiæ idem.

(1) Apud Alcuin. car. 217.
(2) Apud Baron. ann. 755.
(3) In Ration. Conſt. Imp.
(4) Variar. libr. 6. formul. 2.

conſcriberetur, quam ut Romanorum *defenſor* deſignaretur, deſignaretur autem conſueto, vulgatoque illo *Patricii* nomine, quo tum in Imperio Præſides provinciarum, quorum partes erant provinciales defendere, vulgo paſſim & ex Imperii conſuetudine nominabantur. Quæ igitur auctoritas, quodve munus eſſet Caroli Romanorum Patricii, ipſe ſua legatione, ſuique Patriciatus titulis declaravit. Declaravit porro & alio facto; quandoquidem Carolus in Italia duobus clarus nominibus fuit Regis & Patricii; ejus enim ditionis univerſæ, ex qua Longobardos expulit, alteram partem Pontificibus olim poſſeſſoribus ceſſiſſe, reſtituiſſeque illum novimus; alteram, belli jure, ſuo adjunxiſſe imperio. In hac quidem *Longobardorum Rex* dici voluit, in illa *Patricius*, atque *Defenſor* potuit quidem, *Rex* autem eſſe, vel dici, nec potuit, nec voluit. Atque eam ob rem *Patricii Romanorum* titulum *Regis Longobardorum* titulo ubique poſtpoſuit; neque enim Regiæ majeſtati Patricii gradum comparandum putavit. Quod ſi *Romanorum Patricius*, *Rex* (ut iſti credunt) *Romanorum* fuiſſet, nulla prorſus dignitate, nulla ratione Longobardico regno regnum Romanorum Carolus poſthabuiſſet. Præſertim cum diu antequam Longobardos profligaret, Romanorum Patricius a Stephano III. nominatus eſſet. Nam ad ſuppetias urbi ferendas Pipinum patrem, amboſque ejus liberos ſimiliter, unoque nomine Stephanus evocavit, litteriſque hanc præfixit epigrapham. *Dominis excellentiſſimis Pipino, Carolo, & Carolomanno noſtris Romanis Patriciis* (1). Quæ cum ita ſint, tantum abeſt, ut Carolus Magnus, qua *Patricius*, *Rex* Romanorum eſſet, aut Rempublicam cum poteſtate gereret, aut Pontificum provinciis, urbibuſque moderaretur, ut earum clientelam, quam ſolam Patriciatus nomine contineri demonſtravimus, ab Hadriano I. conceſſam ſibi, Leonem III. ſucceſſorem rogaret, ut ratam firmamque eſſe ſibi nihilominus vellet; quod illam ſciret a Romani Pontificis nutu pendere, & pro ejus arbitrio æque ſibi, Regibuſque Francorum, atque cuilibet

Patricius Rom. minor quam Rex Longobard.

 libet

(1) Apud Baron. ann. 755.

libet chriſtianorum principum committi poſſe, prout quiſque rebus eccleſiæ Romanæ, vel bono religionis publico ſtudere maxime videretur. Quare poſt Gallorum Reges demandata ea nonnunquam provincia fuit Regibus Italiæ, Caſtellæ, Sveviæ, Siciliæ; quorum, niſi me fallit memoria, poſtremi fuere Conradinus, & Ludovici Regis ſanctiſſimi frater Carolus Andegavus, quod ejus argenteus nummus prodit, in quo SENATOR URBIS Carolus inſcribitur; quia poſterioribus deinde ſeculis Romanorum Patricii (ut ex lege Nicolai III. liquet, quam modo proferam) Urbis SENATORES, RECTORES, ac etiam CAPITANEI ſunt appellati. Quorum potentia cum plerumque in Pontificum Maximorum, & Cardinalium comitiis opprimeretur potius eccleſia Romana, quam ex vetere, primoque inſtituto, ut par erat, defenderetur; Nicolaus III. Urbis patrocinium & adminiſtrationem, ab iis, ad minorum gentium præſides, ut hodie videmus, hac lege traduxit. *De fratrum noſtrorum conſilio* (1), *hac irrefragabili, & in perpetuum valitura conſtitutione ſancimus: ut quandocumque & quotieſcumque SENATORIS electio, vel alterius quocumque nomine cenſeatur, qui quocumque modo, vel quocumque titulo ipſius Urbis debeat præeſſe regimini, in poſterum imminebit: NULLUS IMPERATOR, SEU REX ROMANORUM, AUT ALIUS IMPERATOR, VEL REX, PRINCEPS, MARCHIO, DUX, AUT BARO, vel quicumque alterius notabilis præeminentiæ, potentiæ, ſeu poteſtatis, excellentiæ, vel dignitatis exiſtat frater, filius, vel nepos eorum, ad tempus, vel in perpetuum, ſeu quivis alius, ultra annale ſpatium, quovis modo, colore, vel cauſa, per ſe, vel per aliam perſonam quomodolibet ſubmittenda, in SENATOREM, CAPITANEUM, PATRICIUM, AUT RECTOREM, vel ad ejuſdem Urbis regimen, ſeu officium nominetur, eligatur, ſeu alias aſſumatur abſque licentia Sedis Apoſtolicæ ſpeciali, per ipſius Sedis litteras conceſſionem licentiæ hujuſmodi ſpecialiter exprimentes*. Sive igitur ampliſſimam Patriciorum Imperialium, hoc eſt Italiæ Exarchorum poteſtatem,

Tab. V.

(1) Cap. Fundamenta de elect. in Sext.

ſtatem, juriſdictionemque ſpectemus, ſive hanc, quam modo declaravimus Caroli Patriciatus longe minorem dignitatem; qua tandem ratione Carolo Romanorum Patricio DOMINI, REGISque tituli, quos illa celebrat inſcriptio, congruant? vel ille, quem tabula exhibet, habitus, veſteſque conveniant? Romanorum ſiquidem Patriciis, velut hodie Urbis Senatori, talarem fuiſſe amictum, *chlamydem, tunicamque* ſcimus; quas cum in ea dignitate eſſet, Carolum Leonis III. rogatu induiſſe, teſtis eſt Eginhartus (1). *Peregrina vero indumenta*, inquit, *quamvis pulcherrima reſpuebat, nec unquam eis indui patiebatur; excepto quod Romæ ſemel Hadriano Pontifice petente, & iterum Leone ſucceſſore ejus ſupplicante, longa tunica, & chlamyde amictus, & calceis Romano more formatis, induebatur*. Eum fuiſſe Patriciorum habitum, Athalaricus Rex apud Caſſiodorum teſtatur (2). Hic vero ubi tunicam longam, ubi chlamydem vides? Certe paludamentum vides imperatorium indumento ſuperjectum Francico, Carolo Regi, ut paulo poſt dicam, conſueto & familiari. At cum Francorum, & Longobardorum Principe, ait, nonne *Regis* nomen bene conſentit? ſed conſentit illum ſolummodo; nam *Dominum noſtrum* (quæ altera inſcriptionis pars eſt) Romæ externo Regi quis inſcribat? ſcilicet externi tum etiam fuere Longobardorum Reges, cum reliquam Romanorum Pontificum ditionem per ſummum ſcelus occupabant; quibus demum exactis Carolus victor, etſi Longobardorum, non tamen ob id vocari, ut dixi, Romanorum Rex voluit, aut potuit. Tum quod recuperatas eccleſiæ Romanæ provincias Hadriano Pontifici reſtituit; tum etiam quod a Longobardorum Regibus, quorum in Regno ille ſucceſſit, etſi Roma obſidione preſſa, nunquam tamen oppreſſa fuit imperio. Francorum autem Reges, qua eccleſiæ defenſores, ac Romanorum Patricii (nam extra hoc quidem nomen, nihil rei Gallis fuit cum Romanis) tantum abeſt, ut Romæ *Domini noſtri* dici vellent, ut ne cuperent quidem, etſi aliqua id ratione potuiſſent, quippe qui viderent Patriciis id,

Patricio Rom nec inſcriptio nec habitus convenit.

Neque Regi Longobardorum.

Neque Regi Francorum.

(1) In vit. Car.

(2) Var. libr. 8. epiſt. 9.

id, ut expoſui, minime convenire; domi vero uſum ejus tituli nullum ipſi haberent, quemadmodum & eorum *Capitula*, quas leges nuncupamus, & nomiſmata, & Caroli Calvi de cudendis nummis conſtitutio probat. Nam ſi quando D. N. REGEM in actis, tabuliſque Francorum legi contingat, quod quidem contingit raro, privatorum tabellionum id obſequium eſt potius, quam ejus reipublicæ, aut Principum conſuetudo, quæ plane contraria domeſticis verbis, & nativo ſenſu in iis *capitulis* exprimitur. Ob nullam ergo trium illarum dignitatum, ſed nova & penitus peculiari de cauſa Carolus dici *Dominus noſter* tum primum cœpit, cum illa ſcilicet translata in eum dignitas fuit, propter quam a Romanis, atque adeo etiam a Pontificibus Maximis Imperatores veteri quodam uſu *Domini noſtri* appellari, ſalutarique conſueverunt. Quamobrem Theophanes (1) non quidem antea, ſed ab Caroli Cæſaris renunciatione *γενομένης τῆς ῥώμης ἀπ' ἐκείνου καιροῦ ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῶν Φράγκων*, *in Francorum*, hoc eſt Caroli, *poteſtatem deveniſſe Romam* exiſtimavit; de qua tamen ſententia mox dicam enucleate. Romanorum ergo more recepto, Romano Principi tum primum creato inſcriptum a Leone III. eſt: D. N. CARVLO REGI. Cur autem ab *Imperatoris* nomine hic temperatum ſit, tertiodecimo capite diſputabimus. Sed de hac inſcriptione ſatis.

Convenit Carolo Imperatori.

C A P. X I I.

Inſcriptio Leonis imaginis exponitur.

AGE nunc alteram videamus, quæ eſt:

SCSSIMVS. D. N. LEO. PAPA

Titulus D.N

Ut illa Carolum, hæc ita Leonem *Dominum noſtrum* indigitat. Quis iſte Dominorum Duumviratus urbanus? dicet fortaſſe quiſpiam, qui infenſo animo, atque inimico audit Romanorum Pontificum civilem dominationem, quam *temporalem*

(1) In Chron.

poralem appellant; niſi forte frigida illa, atque jejuna calumnia, pictoris vitio factum id arbitretur. Verum dum antiquas perluſtro majorum imagines, æque me nihil detinere ſolet, atque ſolertiſſima illorum diligentia, ſive rerum hiſtoriam, ſive rituum obſervantiam, ſive pondera veritatis examino. Ea omnia, licet rudibus expreſſa lineamentis, admirabile quid habent in receſſu, modo hæc eruditis oculis intueare; nam eminent, & apparent eo magis, quo minus opprimuntur artis induſtria. Vide hic Apoſtolos in teſtudine tribunalis, Petrum oram pallii ſublegentem, reliquos palliis ſuffarcinatos; fortaſſe ridebis artificem dignitatis imperitum; at ſi quam refert hiſtoriam animadvertas, peritiſſimum dicas. Scilicet ad iter accinctos, ſuccinctoſque, jamque carpentes viam Apoſtolos depinxit, ubi illud Chriſti Domini audierunt celeuſma EVNTES DOCETE, quod in tabulæ appendice notavit. Vide præterea duum Imperatorum Conſtantini, & Caroli tam diſſimiles coronas; neque enim ad pictoris libidinem, ſed ad diverſi ſeculi conſuetudinem, ut mox diſſeram, illa eſt varietas. Vide denique inſcriptum Carolo Imperatori REGIS titulum; in quo quis non oſcitantem arguat artificem? Attamen data eſt opera, ut paulo poſt dicam, ne aliter illa ſonaret epigrapha. Nemo igitur eam ἀκρίβειαν, exactamque diligentiam in Leonis titulo neglectam fuiſſe putet, qui hanc in reliquis hujuſce tabulæ partibus tam accurate, religioſeque ſervatam videat. Nec dubium, cum Leonis III. tempeſtate, ac diu poſt, antiquiſſimum, ac præſtantiſſimum Ædilium Levitarum Collegium perduraverit, quorum munus fuit ſacris ædificiis faciundis præeſſe, utque cum dignitate, riteque fierent ita curare, ut publico nominum ſuorum teſtimonio lapidibus inciſo procurationem verbis ſolemnibus profiteri tenerentur. Damaſi Pontificis Levita Ædilis in Cœmeterio Vaticano, quod aggere cinxerat, carmen, quo rem totam narrat, ita claudit: HÆC. CVRAVIT. MERCVRIVS. LEVITA. FIDELIS Leonis III. Levita Ædilis in ſacello, quod, ante Sixtianam demolitionem, pone Triclinium, de quo agimus, exſtabat, hunc in modum inſcripſit:

Imaginum antiquarum ἀκρίβεια.

Levitarum Ædilium cura.

CVRANTE. N. LEBITA. PETRI
AD. HONOREM. ARCHANGELORVM
LEO. TERTIVS. PAPA. FIERI. IVSSIT

Ad portas æneas Patriarchii Lateranenſis Levita Cœleſtini III. ſuam ita teſtatus eſt diligentiam.

INCARNATIONIS. DOMINICÆ. ∞ C XCVI.
PONTIFICATVS. VERO. DOMINI. COELESTINI. PAPÆ. III.
ANNO. VI. CENCIO. CAMERARIO. MINISTRANTE
HOC. OPVS. FACTVM. EST

Ergo Levitarum Ædilium Collegium ejus tituli formam conceptis, conſultiſque verbis opportune ad rem, ita dictaſſe, ut in Triclinio hodie legitur, minime dubitamus. Ceterum antiquus, ut paulo ante attigi, Romanorum mos eſt, atque adeo proprius, Principes, quorum in ditione, legitimaque poteſtate eſſent, *Dominos noſtros* nuncupare, & inſcribere. Sic olim Imperatores Romanos nationes, populique omnes, *Dominos orbis terrarum*, ſalutabant; ſingulæ vero provinciæ, *Dominos noſtros*, ſuos, inquam, profitebantur. Poſt Cæſares vel Gentiles, vel Chriſtianos, ita Romani venerati ſunt Gotthos Reges, Theodoricum, Athalaricum, Theodatum, ac reliquos, quorum adhuc ſuperſunt inſcriptiones, & nomiſmata. Eadem ratione, eodemque more Pontifices Maximos, *Dominos ſuos*, nuncupare tum cœpit Senatus, Populuſque Romanus, cum Urbe Pontifices ſuo, plenoque jure, ac dominatu primum potiti ſunt. Potiti ſunt autem cum a fidei deſertore Leone Iſaurico diſcedens Senatus Romanus ſacramentum (teſte (1) Anaſtaſio) dixit Gregorio II. Quamquam impius Imperator, ut a Pontificis fide Senatum, Populumque Romanum abduceret, claſſem inſtruxit, quam ad Oſtia Tyberina priuſquam appelleret, divino nutu, quemadmodum Theophanes (2) narrat Adriaticum pelagus, eccleſiæ Romanæ velut injuriarum ultor, abſorbuit. Neque ita tamen ſedatæ procellæ ſunt, quibus civile hoc imper-

Pontifices Rom. DD. NN.

(1) In Greg. II. (2) In Chron.

imperium Romanorum Pontificum jactatum eſt per id tempus, ſub altero Gregorio, Zacharia, & Stephano III. qui Francorum auxilium præſidiumque imploraturus ad Pipinum Regem in Gallias perrexit. Is primum arma Longobardorum ab Urbe, & a reliqua Pontificum ditione avertit, Carolus deinde filius tranquilliſſimam pacem Hadriano I. peperit, qui procul ab omnibus turbis, Romam, ut deceſſores inde a Gregorio II. Pontifice, plena dominatione tenuit. Tenuit Leo quoque III. ſucceſſor integro quadriennio. Tum civium conjurata manus Pontificiæ dominationis pertæſa, Leoni vim intulit; Carolus vero Magnus, qui tamdiu laudabitur, dum memoria Pontificum Romanorum manebit, non modo paratam defectionem coercuit, ac Senatum, Populumque Romanum ad debitam Leoni fidem pellexit, induxitque; ſed vetus etiam Pontificum in Urbe dominium ita ſtabilivit, ut ex eo tempore (ante id enim ego quidem hoc nondum obſervavi) Romani Pontifices tamquam Urbis jam domini cum in titulis, tum in acclamationibus, audire cœperint, *Domini noſtri*. Sane poſt illud tempus, extat in æde ſancti Marci teſſellatum opus Gregorii IV. qui paulo poſt Leonem III. Pontificatum cœpit, ibidemque legis hanc epigrapham:

SCSSIMVS. D. N. GREGORIVS. PP.

Et in antiquis Ritualibus, tum Pontificibus; tum Auguſtis acclamatur *D. N. Papæ vita. D. N. Imperatori vita & victoria*. Quod ex decreto Leonis uſurpatum deinde fuiſſe, facile ex hujus tabulæ, & Benedicti Politici teſtimonio poteſt intelligi. Sed committamus cum Leonis emblemate vermiculato nomiſma, in cujus altera facie ſimulacrum reſtituti Leonis ſub imagine Petri, in averſa, ejus nomen, dominiique titulum æque luculentum videre licet, atque in hac tabula incorruptum habemus. Neque Tab. V. Baronio (1) eccleſiaſticæ antiquitatis peritiſſimo, cui alioqui plurimum tribuo, aſſentiri facile poſſum, aut Lælio Paſqua-

(1) Tom. 6. ad ann. 461.

Paſqualino, qui Baronio ejus fuit auctor ſententiæ, ut crederet Leonis I. eſſe illud nomiſma. Nam quarto illo, quo Leo Magnus floruit, tribuſque poſterioribus ſeculis, ita Cæſares Italiæ univerſæ, & Urbi moderati ſunt, ut Pontificibus Maximis, præter eccleſiaſticam, nihil civilis juriſdictionis permiſerint; tantum abeſt, ut urbanæ dominationis ergo *Domini noſtri* a Senatu Populoque ſint appellati, aut ab illis hoc titulo cuſa nomiſmata fuerint. Si titulos, quos Magno Leoni populus, vel ſibi ipſe poſuerit, aliunde (quandoquidem Leoniani minime ſuppetunt) noſſe certo volumus, facile intelligemus e Xyſti III. ejus anteceſſoris, vel ſucceſſoris Hilari titulorum exemplo, indeque eliciemus Leonis, atque adeo ejus tempeſtatis conſuetudinem. Xyſtus in arcu majore Baſilicæ Liberianæ, quam olim reſtauraverat, ſcribi juſſit ex muſivo:

Antiqui Pontificum Rom. tituli.

XYSTVS. EPISCOPVS. PLEBI. DEI

Hilarus epiſtylio ædiculæ ſancti Joannis Baptiſtæ, quam in Baptiſterio Conſtantiniano condidit, inſcripſit hunc titulum:

HILARVS. EPISCOPVS. SANCTÆ. PLEBI. DEI

ædiculæ januas æneas argento ita cælavit;

IN. HONOREM. BEATI. IOANNIS BAPTISTÆ
HILARVS. EPISCOPVS. DEI. FAMVLVS. OFFERT

In altero vero ſancti Joannis Evangeliſtæ ſacello, quod e regione illius eſt:

LIBERATORI. SVO. BEATO. IOANNI. EVANGELISTÆ
HILARVS. EPISCOPVS. FAMVLVS. CHRISTI

En quantum abhorret hujus nomiſmatis epigrapha a Magni Leonis tempore, ac more. Nec minus abeſt ab uſu ætatis Leonis II. eandem enim tum perduraſſe, quæ antiquitus Romæ fuerat, civilis juriſdictionis, adminiſtrandæque Reipublicæ formam, Agathonis teſtimonio liquet, qui, ad Conſtantinum Pogonatum Cæſarem Legatos ſynodi Conſtantinopolitanæ Præſides ſe deſtinare ait: *de hac*

ſervili

ſervili veſtri ſereniſſimi principatus Romana Urbe. Unus ergo omnium Leonum facile antiquiſſimus, cui nomiſma illud attribui queat, Leo eſt III. conſentitque hiſtoria, ac hujus tabulæ titulus, ſi cum nummi titulo comparetur. Hic nobis Theophanem (1) neſcio quis obiiciat, qui ne tum quidem, hoc eſt, Leonis III. tempeſtate, in Pontificum Romanorum, ſed in Francorum poteſtatem, ut paulo ante memoravi, Urbem deveniſſe narrat. At id confirmare ſua (2) Bibliothecarius interpretatione, a qua penitus illam ſententiam excluſit, minime quidem voluit; quippe cui optime de adminiſtratione ſtatuque Reipublicæ Romanæ conſtaret, & ante oculos ipſa tum res verſaretur. Niſi Theophanem ſic accipias, quemadmodum Paulus (3) Diaconus apud Carolum Magnum *Civitatem veſtram Romuleam* dixit, quæ ſcilicet in illius tutela eſſet, ut demonſtravimus, atque præſidio. Nam tabulæ, quas Carolus Hadriano confecerat, ac Leoni confirmarat, haud ita privatæ, ignotæque fuerunt, ut tantos ejus temporis ſcriptores latere potuerint. At vero Romam Pontificum Maximorum imperio, legibuſque tum paruiſſe, ſi quidem aliis affirmantibus credere non libet, ſaltem iis, quorum res intererat, credatur; Carolo Magno (4), qui, ut ſuperiore capite declaratum eſt, & quartodecimo fuſius dicetur, Romanorum Patriciatum, ideſt Urbis Præfecturam, per Legatos, a Romano Pontifice petiit, fidemque eidem ſpopondit ſuam. Credatur Ludovico filio (5), qui Paſchali I. Leonis III. ſucceſſori ratam Caroli patris conceſſionem habens; *Concedo*, inquit, *ſicut a prædeceſſoribus veſtris uſque nunc in veſtra poteſtate, & ditione tenuiſtis, & diſpoſuiſtis Civitatem Romanam cum Ducatu ſuo, &c.* Credatur Conſtantino Porphyrogenneto (6), qui filium Imperii ſucceſſorem monet, ne Romam ſuæ ditionis finibus contineri putet, quæ δεσπόζεται κυρίως παρ᾽ ἄλλος τοῦ κατὰ καιρὸν Πάπα: *ab eo antiſtite, qui in Pontificatu per tempus ſuccederet, jure dominii teneretur*. Hoc ergo nomine Leo III. cum in nomiſma-

Titulus, & nomiſma Leonis III.

Dominium Pontificis Romani.

K

(1) In Chron.
(2) In Hiſt.
(3) In Ded. Feſt. Pomp.
(4) Epiſt. 84. ad Leon. apud Alcuin.
(5) In Conſt. de priv. B. Petr.
(6) De Them. libr. 2.

miſmate, tum in emblemate D. N. inſcribitur, Carolus vero, qua Cæſar publice renunciatus. Ad quem plane modum uterque *Romæ pater* a Poeta ejus ætatis nuncupatur:

O quanto premitur Roma dolore
Præclaris ſubito patribus orba;

Et infra *duo lumina* vocantur:

Luge Roma tuum nomen in umbris,
Et defuncta duo lumina luge.

Præſtat hic integrum dare carmen, & huic diſputationi conveniens, & haud invenuſtum, ſi ſcribentis ætatem ſpectes. Iis certe minime ingratum fore puto, qui nova priſcorum temporum monumenta ex Vaticana Bibliotheca expetunt:

Cæſar, tantus eras, quantus & orbis,
At nunc in modico clauderis antro.
Poſt te quiſque ſciat ſe ruiturum,
Et quod nulla mori gloria tollat.
Florens Imperii gloria quondam
Deſolata ſuo Cæſare marcet,
Hanc ultra ſpeciem non habitura,
Quam tecum moriens occuluiſti.
O quanto premitur Roma dolore,
Præclaris ſubito patribus orba.
Nunc Auguſte tuo funere languet,
Infirmata pii morte Leonis.
Leges a ſenibus patribus actas,
Quas elapſa diu raſerat ætas,
Omnes, ut fuerant, ipſe reformans,
Romanis ſtuduit reddere cauſis.
Tu longinqua ſatis regna, locoſque
Quos nullus potuit flectere Cæſar,
Romanos onerans viribus arcus,
Ad civile decus excoluiſti.
Quæ te non doluit, Cæſar, obiſſe;
Vel quæ non timuit patria vivum?
Sed quæ te timuit patria vivum,
Hæc te nunc doluit, Cæſar obiſſe.
Nam ſic lenis eras jam ſuperatis,

Et

Et ſic indomitis gentibus aſper,
Ut qui non doluit, jure timeret;
Et qui non timuit, jure doleret.
Luge, Roma, tuum nomen in umbris,
Et defuncta duo lumina luge.
Arcus frange tuos, ſicque triumphum;
Et te, Roma, tuis hoſtibus offer.

Quid? Num ad rebellionem Romanos incitat? Id vero neque Romanorum fidem, neque Poetæ modeſtiam decebat, qui non tam magnam Caroli laudem, quin majorem Ludovici ſucceſſoris vituperationem hic exaggeraſſet, ſi quid ad Imperium, quod tum Ludovicus ſuſceperat, Roma pertinuiſſet. Num potius innuit quod res eſt? ita videlicet Romano Pontifici integrum fuiſſe defenſorem ſibi quærere quem vellet, ut ubi defenſor Carolo virtute par non ſuppeteret, ſuo jure, ſuaque libertate uti, & abuti ſic poſſet, ut ſe hoſtibus offerre nulla invidia, nulla injuria, nulla denique violata lege vel fide poſſet. Scilicet auctor præter tutelarem in Urbe Caroli poteſtatem, de qua ſupra diſputatum eſt, aliam agnoſcit nullam. Idque, ut demonſtravi, munus erat Patricii Romanorum, hoc eſt, (quid enim iſti fruſtra diſtinguunt?) Defenſoris eccleſiæ Romanæ, ejuſque jurium, civitatum, ac provinciarum, quæ in ditione Romanorum Pontificum eſſent. Quas etenim victorias, quos triumphos Urbi, ac Romanis Carolum peperiſſe hic auctor affirmat, iiſdem eccleſiam Romanam ornaſſe ait Ingobertus Caroli ſcriba:

Ad dextram armigeri prætendunt arma miniſtri,
Eccleſiam Chriſti invictus defenſor in æuum
Armipotens magnis queis ornet ſæpe triumphis.

Armis quippe Carolus debellavit, qui domi, foriſque eccleſiæ Romanæ, Pontificumque dominatum, & ditionem turbatum ibant; atque hæc fuit Caroli Romanorum Patricii ſumma triumphorum. Ex rebus a Leone geſtis illud inſigne nobis Poeta notatum reliquit, quod

Leges a ſenibus patribus actas
Romanis ſtuduit reddere cauſis.

Egregium ſane opus, quod in eruditorum animis in-

gens ſui deſiderium commoveat. Ni forte Anſelmi illa, quæ in Bibliothecis habetur, canonum collectio ab hac Leoniana, ita ut eſt integra, manarit. Plane ad unam utraque formam concinnata fuiſſe mihi videtur. Nam in altera, quæ ſupereſt, ſive Anſelmi, ſive Leonis eam dicere mavis, id obſerves, quod memoria dignum Poeta cenſuit: *leges* eccleſiaſticas per certa capita *Romanis cauſis redditas*; ſingulas nimirum ſingulis appoſitas, tributaſque; quod ante Leonem feciſſe primum Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum alibi diximus (1). Ejus canonum collectionis, nuper Hidelberga, inſignis codex, exeſus licet ac dimidiatus, adlatus huc eſt, venerandæ antiquitatis illuſtre ſane monumentum.

C A P. X I I I.

Quæ dicta ſunt quinque habere difficultates videntur.

VEterum hujus generis monimentorum fides ex tribus his ferme conſtat, ſi cohæreant ſingula, ſi temporibus reſpondeant, ſi ab hiſtoria habeant teſtimonium. Hæc vero etiam ſi ſatis, ni fallor, explicata ſunt; Imperii tamen translati controverſia plena cum ſit invidiæ, quæ ſicuti videre contemnit veritatem, ita ſingula perſpicere ſolet, quibus veritas impugnetur; quinque in hac tabula reperio cauſas, iis maxime opportunas, qui contradicendi libertate ſuo veluti jure utuntur. Unam, quod de Imperio hic mentio ſit nulla, imo nec Imperatoris nomen extet, quo tamen Carolum fuiſſe tum ſalutatum, cum Auguſtus renunciatus eſt, nemo hiſtoricorum non aſſeverat. Alteram, quod ſignum id, quod in manum Carolo traditur, ſi cujus eſt, Patriciæ certe eſt argumentum dignitatis; de vexillo quippe a Leone III. ad Carolum Patricium miſſo auctores meminerunt. Tertiam, quod nihil cum Cæſare inaugurato ille facere videtur ornatus, quem præſefert muſivi delineatio. Quartam, quod ad cujuſ-

Rationes contra tabulam translationis Imp.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

(1) In not. ad Procop.

cujuſvis magis, quam ad Caroli ſimilitudinem ea accedit imago, cui Caroli inditum nomen hic eſt. Quintam, quod Leonianum Triclinium longe ante abſolutum fuit, quam a Romanis Leo eiiceretur, quam proficiſceretur in Germaniam, quam denique Carolum donaret Imperio. Nam publici conventus, qui, ſtatim poſt Leonis reditum e Saxonia, de ejus cauſa habiti ſunt, hic, teſte Bibliothecario (1), ſunt habiti. *Poſt aliquos dies*, inquit, *fideliſſimis miſſis, qui cum Leone venerunt in pontificale obſequium, videlicet Hildevaldo, & Arno Reverendiſſimis Archiepiſcopis, &c. reſidentibus in Triclinio ipſius Domini Leonis Papæ, & per unam, & amplius hebdomadam inquirentibus, &c.* Earum, ſi placet, cauſarum quantum quæque valeat, quantumque vera ſit unaquæque, videamus. Quinta.

Ante conditum fuiſſe Triclinium (ut de poſtrema primum cauſa dicamus) quam Carolus renunciaretur Imperator, minime inficias imus; ornamenta tamen cœnaculi perfecta negamus, antequam Carolus Romam veniret, ac Cæſar appellaretur. Siquidem omnia pene ædificia a Leone III. Romæ inchoata, ob factam a Paſchale, & Campulo in eum conjurationem, imperfecta fuiſſe relicta, idem Bibliothecarius affirmat; ac ne de Triclinio dubitandi locus remaneret, nominatim Patriarchii meminit extructionem: *Hic autem*, inquit (2) *venerabilis, & ſanctiſſimus Præſul, dum in Catholica, & Apoſtolica Romana eccleſia per ordinem eccleſiaſticum degeret, & ritum orthodoxæ fidei teneret, atque ex omni parte tam per diverſas eccleſias, quamque in Patriarchio, in amplis ædificiis conſtruens, compte ornaret*, conjuratorum factione, inſidiiſque petitur ad necem. Exornari ergo ædes cœperant, cum, inopinato illo caſu, Roma Leo excedere coactus eſt; ac primum in Spoletanum agrum ad Vinigiſum Ducem, deinde ad Carolum Regem Francorum in Germaniam confugere: quo toto tempore cum Triclinium, tum reliqua Leonis ædificia pene in ſquallore jacuerunt. Sed quid de Triclinio? cum eccleſia ſanctæ Suſannæ, cujus (ut apud Anaſtaſium (3) narra-

Ad quintam rationem.

Triclinium Leonis quando perfectum.

(1) In Leon. III.
(2) In Leon. III.
(3) In Leon. III.

narrationis ordo declarat) longe ante cœpta extructio fuerat, poſt acceptum a Carolo imperium, ſit abſoluta? Quippe Carolum corona, palludamento, totoque indutum imperatorio ornatu Leo III. in ejus templi apſide, (quod diximus (1), nec repetere piget) ex muſivo depinxit. Præterquam quod, ante Campulanam illam conjurationem, nulla extiterunt in Leonem Caroli merita, nulla conſuetudinis, vel amicitiæ cauſa, quam ob rem in Baſilicis, in Lateranenſi Patriarchio eidem a Leone publice ſtatuerentur imagines, nedum inſignibus imperii decorarentur, vel inſcriptione Cæſari ſolum, ut oſtendimus, debita cohoneſtarentur. Verum ſi ante Romanorum in Leonem conſpirationem perfecta hujuſce Triclinii ornamenta contendis, cedo alterum Leonis exilium, alteram reſtitutionem, quam hac in tabula expreſſam demonſtres. Itaque ſicut ex Anaſtaſii conſtat hiſtoria conventus adverſus conjuratos in Triclinio Leoniano fuiſſe celebratos; ita, quod modo dicebam, Triclinii ornamentis, poſt Leonem reſtitutum, Carolumque Imperatorem deſignatum, ſupremam manum impoſitam fuiſſe, cum ejuſdem Anaſtaſii teſtimonium, tum ipſa ratio convincit. Deinde Caroli ſimilitudinem (is enim locus erat poſtremo proximus contra ea, quæ diſputamus) tam expreſſam, tam veram, ac vivam exigimus a pictoribus, qui, Carolo Imperatore, & Leone Pontifice, hoc eſt ætate non adeo culta ſolertique, vixerunt? idque in opere teſſellato? Scio diſſimilem plane iſtius eſſe Caroli vultum, quem Turpinus deſcribit: ſed auctorem illum, qui Turpini mentitus eſt nomen, plenum eſſe fabularum, res nota jam dudum eſt, atque apud omnes pervulgata. Sed quid ille de Caroli ſpecie, & habitu? *Longitudo ejus*, inquit (2), *octo pedum, ſuorum ſcilicet, qui erant longiſſimi; facies ejus palmum, & dimidium habebat in longitudine; barba unum palmum; naſus circiter dimidium; & frons ejus erat unius pedis*. De ſtatura quod ait; imponet, ut reor, nemini, cum hodieque ſuperet haſtile Caroli Magni ad ejus olim ſtaturam exactum, quemadmodum litteræ ex argento inſcri-

Ad quartam rationem.

Caroli M. forma.

Statura.

(1) Sup. cap. 2.

(2) De Geſt. Caroli M. cap. 20.

inſcriptæ declarant: KARLVS. IMPR. IVSSIT. CVBITV. ISTV. FACERE. IVXTA. MENSVRAM. SVAM. Haſtile vero, ut qui viderunt (1), ac menſi ſunt, affirmant, inſolens ac vaſtum continet plane nihil. Faciem autem (ſi qua eſt humani corporis commenſuratio) plane prodigioſam, ac monſtroſam narrat, niſi forte rictum equinum, non vultum humanum deſcribit; quamquam & belluinum roſtrum juſta non careat partium competentia. Hic tamen palmo, ac præterea ſemipalmo faciem, pede frontem, ſemipalmo naſum metitur. Sive autem palmo, ac pede Gigantis, quem delineare videtur, ſive ſuo Turpinus giganteam illam vaſtitatem metiatur, menſura eſt minime conſentanea, nec ad ſymmetriæ rationem modulata. Eginhartus diverſa, & omnino contraria de ſui Principis forma refert, huic vero imagini convenientiſſima. *Corpore*, inquit (2) *fuit amplo atque robuſto, ſtatura eminenti, quæ tamen juſtam non excederet, nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem ejus conſtat habuiſſe figuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naſo paululum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta & hilari*. Pene ad vivum expreſſa videmus omnia in hoc ſimulacro, alteroque illo, quod ex ſanctæ Suſannæ tribunali deſumptum ſupra, ſecundo capite, propoſuimus; in quo tamen corporis ſtatura, membrorumque amplitudo, ac robur ipſa imaginis conſtitutione, ſituque magis magiſque prodatur, & appareat. Caniciem, & ſi quid aliud eſt ultimæ ſenectutis inditium, in imagine primo ſtatim imperii anno depicta, hoc eſt, quarto & decimo ante diem Caroli vitæ ſupremum, fruſtra requiris. Barbam denique Turpinus; **Barba.** eſt ne autem quod de Caroli barba recte referre poſſit, qui omnia perperam de facie narravit? Marcus Velſerus vir clariſſimus (3) Carolum promiſiſſe barbam negavit, protulitque hoc Leonis emblema, & monetam, in qua Caroli effigies puro eſt mento. Proferimus nos idem illud eccleſiæ ſanctæ Suſannæ muſivum; proferimus Ingoberti Caroli

(1) Marquar. Freher. de ſtatura Car. Magn.

(2) In vit. Car. M.

(3) Apud Freher. loc. cit.

Caroli Imperatoris ſcribæ tabulam, in qua herum ille ſuum mento raſo Romanorum Imperatorum ritu, vel de- Tab. IX. tonſo, nobis exhibuit in fronte Bibliorum, quæ juſſu Caroli, regio plane apparatu, ſua ipſe manu exaravit, quod, præter alia, ſic præfatur:

Hæc namque invenies præſenti paſcua libro
Quem tibi, quemque tuis, Rex Karolus ore ſerenus
Offert, Chriſte, tuuſque cliens, & corde fidelis.
Ejus ad imperium devoti pectoris artus
Ignobertus eram referens, & ſcriba fidelis,
Graphidas Auſonios æquans, ſuperanſque tenore.

Præſtat & imaginis deſcriptionem hic addere, quam Ingobertus in eodem Bibliorum codice, qui in ſacrario Baſilicæ ſancti Pauli via Oſtienſi ſervatur, carmine ſic expreſſit:

Rex cæli Dominus ſolita pietate redundans
Hunc Karolum Regem terræ dilexit herilem.
Tanti ergo officii ut compos valuiſſet haberi,
Tetracty implevit virtutum quatuor alma.
Imminet hæc capiti de vertice cuncta refundens.
Denique ſe primum, tunc omnia rite gubernat
Prudenter, juſte, moderate, fortiter atque.
Hinc inde angelico ſeptus tutamine ſacro,
Hoſtibus ut cunctis, exultet pace, repulſis.
Ad dextram armigeri prætendunt arma miniſtri
Eccleſiam Chriſti invictus defenſor in ævum
Armipotens magnis queis ornet ſæpe triumphis.
Nobilis ad lævam conjux de more venuſtat,
Qua inſignis proles in regnum rite paretur.

De veſtitu Caroli tertio loco obiiciebatur; illum minime imperatorium videri. Siquidem reliquum dicis veſtimenti ornatum, calceos, tibialia, tunicam: haud ego quidem negaverim; meminiſſe tamen oportet, non ex condicto, vel diu ante meditato apparatu celebratam Caroli inaugurationem fuiſſe, ſed inſcio, ac nihil tale opinanti imperiale palludamentum a Leone injectum, & impoſitam capiti coronam. Subita hæc pompa, improviſumque ſpectaculum uno omnium ſcriptorum narratur conſenſu. An eſt qui tum veſte indutum non patria Carolum oſten-

Ad tertiam rationem.

Caroli M. veſtis patria


Tab. IX. pag. 80

oſtendere poſſit? qui exterorum ita reſpuiſſe dicitur amictum, ut vel Romanum, Romæ, a ſummis Pontificibus rogarus, vix admitteret. *Veſtitu*, inquit Eginhartus (1), *patrio, hoc eſt Francico utebatur, &c. peregrina vero indumenta, quamvis pulcherrima, reſpuebat, nec unquam eis indui patiebatur: excepto quod Romæ ſemel Hadriano Pontifice petente, & iterum Leone ejus ſucceſſore ſupplicante, longa tunica, & chlamyde amictus, & calceis Romano more formatis, induebatur*. Quamobrem veſtis illa reliqua, præter palludamentum, & auguſtalem coronam, tota Francica eſt, & Carolo conſueta ac familiaris, quam ita deſcribit Eginhartus. *Ad corpus camiſiam lineam* (2), *& fæminalia linea induebatur: deinde tunicam, quæ limbo ſerico ambiebatur, & tibialia: tum faſciolis crura, & pedes calciamentis conſtringebat: & ex pellibus lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hyeme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio ſemper accinctus, cujus capulus ac baltheus, aut aureus, aut argenteus erat; aliquoties & gemmato enſe utebatur: quod tamen non niſi in præcipuis ſolemnitatibus, vel ſi quando exterarum gentium legati veniſſent, faciebat*. Vides hic tunicam prætextam quidem, non tamen talarem, qualem Romanorum Patriciorum fuiſſe oſtendimus; Carolumque adhuc Patricium Leonis rogatu induiſſe Eginhartus narravit. Crura præterea vides faſciolis involuta, quod & in altera Caroli e templo ſanctæ Suſannæ deprompta imagine licet obſervare; ex quo Eginharti loco Pompeum Ugonium, & Angelum Maſſarellum errore lapſos facile intelligas, qui faſciolas, cum, ex candore de armis acceperint, armatum Carolum ex his imaginibus nobis exhibuerunt. Sed hodieque tibialia, ſub genu, ne defluant, brevioribus faſciis nos aſtringimus, veteres longioribus, perpetuiſque, a talis ad genua, crura conveſtiebant; crurales eæ faſciæ dicebantur. De Caroli Magni corona (3) Eginhartus: *Diademate*, ait, *ex auro & gemmis ornatus incedebat*; ejus formam (4) Ingobertus coloribus quidem delineavit, ſed hu-

Tunica.

Faſciæ.

Corona.

(1) In vit. Car.
(2) Ibidem.
(3) In vit. Car.
(4) Sup. hoc cap.

jus longe diſſimilem. Regum illa eſt nimirum propria, hæc imperatoria, qualis inde a Leone Daco, aliiſque deinceps Auguſtis Illyriis inolevit, Macedonum ſcilicet Cauſia, quam regio diademate ornatam Athenæus dicit (1), Plutarchus vero (2) Καυσίαν διαδηματηφόρον appellat, Caſſidi perſimilem, ob eamque figuram Καισαρίκιον περικεφαλαίαν *galeam Cæſarianam* Theophanes vocat (3), quæ cum ſuperiore parte contecta ſit, *regnum epanocliſtum* a Bibliothecario nuncupatur (4); ad idque coronæ genus alludit Sugerius (5), ubi ſtemma Pontificium deſcribit: *Phrygium, ornamentum imperiale inſtar galeæ circulo aureo concinnatum*. Ejuſmodi videmus hic Caroli diadema; neque enim dubium eſt Leonem III. coronam, qua Carolus donandus, ac Cæſar deſignandus erat, talem plane curaviſſe, uti tum erat mos & ingenium, qualem ſcilicet ejus ſeculi, ac tempeſtatis Auguſtorum reddunt nomiſmata, quæ omnium manibus teruntur Leonis Iſauri, Conſtantini Copronymi, Leonis qui proxime imperavit, Conſtantini Irenæ filii, Nicephori Logothetæ, & Michaelis Rangabis, quorum coronæ forma cum hac ſi conferatur, tam conſimilis eſt, quam eſſe poteſt. Conſtantinus porro Magnus cujuſmodi ſit uſus corona, non illius nummi modo, ſed altera hujus etiam emblematis pars oſtendit; ut ſomniare prorſus videatur, qui (6) *cum ipſo Conſtantinianeo ſtemmate Leonem Pontificem jus imperii in Carolum tranſtuliſſe* affirmat ex Ermoldo Nigello (7):

Tum jubet afferri gemmis, auroque coronam,
Quæ Conſtantini Cæſaris ante fuit.

Nam ſi, dum Ermoldus adhuc latitat, ejus licet ſententiam ex uno illo, quod profertur carmine, elicere: *QVÆ* poetarum more uſurpavit, cum dicere oportuiſſet, *qualis* fuit Conſtantini corona, hoc eſt ornatu, ſplendore, dignitate plane imperialis. Sed quis fœdius labitur Anonymus

(1) Dipn. libr. 12.
(2) In Anton.
(3) In Chron.
(4) In vit. Pont. paſſim.
(5) In vit. Lud. Craſſi.
(6) Anonym de Donat. Conſt.
(7) Apud eund. Anonymum.

nymus hic, qui corona olim a Conſtantino Pontificibus conceſſa Carolum redimitum affirmat, an Franciſcus Junius (1), qui Romanos Pontifices per id temporis geſtaſſe, & ad hanc ferme diem retinere Clodovei Francorum Regis diadema contendit? *Illa ipſa*, inquit, *corona, illud regnum, quod hodie imponitur capiti Pontificis, eadem eſt, quam Anaſtaſius Imperator Clodoveo dedit, & Clodoveus Pontifici*. Unde id Junius habeat, ſi quæras; Sigibertum profert, qui ait (2), *Ipſe vero Rex Clodoveus miſit Romam ſancto Petro coronam cum gemmis, quæ Regnum appellari ſolet*. *Regnum* autem dici Pontificum diadema cum Junius legerit, homonymia lapſus eſt plane pueriliter. *Regnum* vero Clodoveus Romam miſit quidem, ſed beato Petro miſit, non Hormiſdæ Pontifici, quod ſcilicet ad aram Vaticanam religionis ergo ſuſpenderetur, non quo Pontifices coronarentur. Ad aram porro illam non Clodovei tantum, ſed innumeras Regum, & Imperatorum coronas dependiſſe novit, qui Anaſtaſii, & aliorum legit hiſtorias. Sed eo conſilio Junius, quæ modo Pontificum eſt coroua, Clodovei fuiſſe demonſtrare adnititur, ut imperii dignitatem in Carolum non a Leone Pontifice, ſed a Clodoveo Francorum Rege derivatam oſtendat. Nam Clodoveus ab Anaſtaſio Auguſto (ſic ille ratiocinatur) quemadmodum Imperatoris nomine, ita & corona donatus eſt. Non ſimplici illa quidem, ac unius coronamenti, qualis eſt Regum; ſed coronamenti triplicis, ſicut eſt Imperatorum. Quod, inquit, plane indicat Pontificum Romanorum tiara, quam illis dono miſit Clodoveus. Sed vide quid ſani ſit in Junii hac ratiocinatione. Primo quidem (ut dixi) Clodoveus coronam ſancto Petro, more majorum, dicavit. Deinde tiaram triplicis coronamenti ex Pontificibus primus geſtavit, ante annos, non amplius, ducentos quinquaginta, Urbanus V. duplicis vero Bonifacius VIII. nam ſuperiorum Pontificum tiaras in vetuſtis imaginibus, ac monumentis unius coronamenti, & Romæ cernimus, & Sugerius deſcribit (3): *Capitis ejus* (Innocentii IV.) *phrygium ornamentum*

(1) De transl. Imp. cont. Bellarm.
(2) In Chron.
(3) Ibidem.

mentum Imperiale, inſtar galeæ, circulo aureo concinnatum imponunt. Præterea tergeminam Auguſtorum coronam nulla (poſt Cæſarum memoriam) dant æra, lapides, anaglypha, ſigna, vel monumenta. Demum eſto, corona Imperatoria, ac ea plane, quam ſibi Junius fingit, Clodoveum Anaſtaſius ſit impartitus; non ſtatim ille Romanorum fuit Imperator juſtus, ac ordinarius, ut ita dicam, ſed honorarius. Honorarios autem Imperatores titulo tenus, aut veſte, juriſdictione autem, vel auctoritate nudos, ac vacuos, non unum, aut alterum invenias. Poſt Anaſtaſium enim, qui Clodoveum fecit, Juſtinianus Auguſtus Aretham Saracenorum Ducem, Imperatorem nominavit (1). Bulgarorum Principes (2) ita ab Orientis Imperatoribus tum maxime dicti ſunt, cum ejus nominis honor (ut paulo poſt dicam) Occidentis Imperatoribus invidebatur. Cultum vero Cæſareum Lazorum Regibus conceſſum olim fuiſſe memorat Agathias (3); idem & Bulgaris (4) deinde habitus honor; idemque a Juliano Auguſto, ut Zoſimus ſcribit (5), Procopio conſanguineo ſuo, qui poſt Juliani cædem veſtem Imperatoriam depoſuit. Ad hunc ferme modum imperatorium nomen, mundumque ab Anaſtaſio Cæſare traditum Clodoveus obtinuit.

Ad ſecundam rationem.

De Caroli vexillo.

De Caroli vexillo proximo capite diſputabimus. Hic vero ex comparatione cum ſigno, quod in altera tabula Conſtantinus præfert, quo id Caroli ſpectet, quiſque facile poteſt intelligere. Nam ad vexillum Carolo Patricio in Gallias a Leone tranſmiſſum nemo prudens hoc referat; niſi vero omnia hic abſona, extra modum, extra tempus, extra hiſtoriam depicta quis exiſtimet. Siquidem Urbis vexillum quinquennio ante Leonis reſtitutionem Carolus accepit; accepit autem non Romæ, non in ſuburbio ad aram Principis Apoſtolorum, non de manu Pontificis, ſed alicubi trans alpes a Pontificiis Legatis; accepit denique non cum populus Romanus VITAM, ut hic legis, LEONI. PP. precabatur, ſed cum a primoribus reipublicæ in ejus vitam conſpirabatur.

Quinta

(1) Procop. libr. 1. bell. Perſ.
(2) Luitpr. in Legat.
(3) Hiſtor. libr. 2.
(4) Jo Curopal. in Tzemiſc.
(5) Hiſtor. libr. 4.

Quinta reſtat cauſa, quam primo loco propoſui; ea nos ipſo monumenti titulo anxius urgere videtur, in quo Imperatoris quidem minime, Regis autem non ſemel inſcriptum nomen apparet. Regis, ac Imperatoris nominum diſcrimen nonnullum aliquando quidem fuiſſe, aliquando vero nullum fuiſſe ſtatim intelligetur. Poſt translatum autem a Leone Pontifice ad Gallos Imperium Romanum, tantam Carolo, ejuſque ſucceſſoribus Imperatoris titulus invidiam conflavit, quanta in litteris Ludovici junioris ad Baſilium Imperatorem Græcorum, & in Legatione Luitprandi legitur. Ita ut Occidentis Imperatores non niſi Ῥῆγας, ideſt *Reges* appellandos Græci contenderint; ſe vero ſolos βασιλέας; adeo vel ſono ejus vocis aſſueverant, vel notionem non animadvertebant. Neque enim græce γασιλεὺς eſt Imperator; quod neque Lacedæmones, neque Athenienſes abnuunt, neque vetus Græcia univerſa. Quare qui olim imperium tenuerunt Romani Principes in Græcis inſcriptionibus, ac nomiſmatis αὐτοκράτορες, quam βασιλεῖς, a Græcis dici maluerunt. Sed aliter poſt Conſtantinum uſus obtinuit, quando αὐτοκράτορος nomen, rarius audiri, ac non niſi in Cæſarum ferme diplomatis; a Chriſtianis vero, præſertim eccleſiaſticis, omnino poſthaberi cœpit, ob eam quam præ ſe fert arrogantiam, βασιλέως autem titulus uſurpari, qui & domeſtica Chriſtianorum conſuetudine probaretur, & divinarum uſu litterarum ac pene teſtimonio, ab omni procul faſtu eſſe videretur. Ceterum Imperatores Regum nomine denotatos fuiſſe, ex Latinis profanarum litterarum monumentis probare difficile non eſt; imo tam facile, ut in jocis ipſis hujus rei teſtimonium invenias; teſtimonium vero æque luculentum, ac uſitatum dicendi genus, unde jocus deſumptus eſt: *Mirabile fortaſſe videatur*, inquit Trebellius (1), *ſi quæ origo imperii Regilliani fuerit, declaretur; militari enim joco regna promeruit. Nam cum milites quidam cum eo cœnarent, aſtitit Valerianus Tribu-*

Ad primam rationem.

De Imperatoris, & Regis nominibus.

Imperatoribus tributũ Regis nomen

(1) In Regilliano.

Tribunus, qui diceret, Regilliani nomen unde credimus dictum? Alius continuo: Credimus, quod a regno. Tum is qui aderat Scholaſticus, cœpit quaſi grammaticaliter declinare & dicere. Rex, regis, regi, Regillianus. Milites, ut eſt hominum genus pronum ad ea quæ cogitant, dixerunt. Ergo poteſt rex eſſe? item alius: Ergo poteſt nos regere? item alius: Deus tibi regis nomen impoſuit. Quid multa? His dictis, cum alia die mane proceſſiſſet, a principiis Imperator eſt ſalutatus. Eandem vocis acceptionem Ethnicis in uſu fuiſſe docere ex Chriſtianis poteſt Tertullianus, qui non ſolum in iis libris, quos ad noſtros edidit (1), publica pro Imperatoribus ſuſcepta vota, eorumque conſecrationes, *Regum ſolemnia*, & *Reges in cælum receptos* dixit; ſed in ipſis etiam ad Nationes (2) conſcriptis monumentis id obſervavit. In Chriſtianorum autem hiſtoriis, paſſim Regis nomen Imperatoribus accommodatur, nec apud Rufinum tantum Romanorum eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptorum antiquiſſimum, qui Græcum ipſum βασιλέως nomen, quo Euſebius Imperatores Romanos ſemper appellavit, *Regem* ſæpe convertit; ſed etiam apud Anaſtaſium, & alios poſteriorum ſeculorum auctores Caroli Magni ætate fere conjunctos. Mitto alios, en tibi Leo III. qui in altera hujuſce muſivi tabula Conſtantini Imperatoris imagini inſcribi juſſit: R. CONSTANTINVS. Quamquam, ut de Carolo ipſo Imperatore dicamus; Albinus Flaccus in iis epiſtolis, quas ad illum ſcribit, ſæpiſſime eundem Regem, eundemque Imperatorem uno orationis contextu nominat. Matthæus autem Weſtmonaſterienſis (3) inſignia Carolo Imperatori a Leone conceſſa, *regalia* vocat, quæ Anaſtaſius ex Theophane, *Imperialia* convertit. *A Domno Papa Leone purpura regali induitur, corona aurea capiti ejus imponitur, & regale ſceptrum ei in manibus datur.* Quemadmodum Conſtantini Imperatoris habitum, *regium*, Victor appellavit (4). Quis præterea neſcit Carolo Magno *Regis* nomen multo magis, quam *Imperatoris* glorioſum fuiſſe, quod hoc illi dies una, plebiſ-

(1) De ſpect. c. 30. Ad uxor. l. 2. c 6.
(2) Ad Nat. libr. 1. cap. 10 libr. 2. c. 10
(3) In Floribus.
(4) In Conſtant.

plebiſque favor pepererit, illud vero ſecum una natum, a majoribus acceptum, infinitis deinde exterarum gentium victoriis, atque triumphis proprium, ſuumque fecerit? Præterquam quod ab *Imperatoris* nomine Carolus aliquando abhorruit, tum modeſtia ſingulari, tum etiam Græcorum invidia. *Romæ Imperatoris*, inquit Eginhartus (1), *& Auguſti nomen accepit: quod primo tantum averſatus eſt, ut affirmaret ſe eo die, quamvis præcipua ſolemnitas eſſet, Eccleſiam non intraturum fuiſſe, ſi Pontificis conſilium præſcire potuiſſet. Invidiam tamen ſuſcepti nominis, Conſtantinopolitanis Imperatoribus ſuper hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe præſtantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in epiſtolis fratres eos appellando.* Sane Caroli modeſtia Leonem, qui eos in Triclinio titulos inſcripſit, minime latebat; imo Pontifex ita inſcripſit, ut Carolo placere, atque ex ejus animi ſententia omnino eſſe noverat. Neque enim hic primus, vel unus eſt Caroli titulus, a quo, ille, jam dudum imperium adeptus, *Auguſti*, vel *Imperatoris* nomen excluſit. *Principem*, tantummodo in ea Baſilica poni juſſit, quam, poſt acceptos imperii faſces, exornavit, dedicavitque, & in qua ſibi monumentum collocavit. *Erat in eadem Baſilica*, inquit Eginhartus (2), *in margine coronæ, quæ inter ſuperiores, & inferiores arcus interiorem ædis partem ambiebat, Sinopide ſcriptum; continens quis auctor eſſet ejuſdem templi, cujus in extremo verſu legebatur*, PRINCEPS. CAROLVS. Nummos denique, ab accepto Romanorum Imperio, ſimplici *Romanorum Regis* nomine cudi Carolus juſſit. Magnam eorum copiam nummorum, ante hoc quindennium, effodi vidimus ex eo Leonis III. Triclinio Vaticano, quod (ut ordo hiſtoriæ apud Bibliothecarium demonſtrat) Carolo jam pridem renunciato Imperatore, ad gradus Baſilicæ Principis Apoſtolorum, a Leone conditum ſupra memoravimus (3). Neque in rem ſuam nummi inſcriptionem Franciſco Junio, iiſque trahere licebit, Tab. V.

(1) In vit. Car.
(2) In vit. Car.
(3) Cap. 1.

licebit, qui Caroli Patriciatum de Rege Romanorum accipiunt; quantum enim a regia, nedum ab Imperatoria majeſtate Patriciorum dignitas, gradus, nomenque diſtaret, liquidius, quam ad hanc diem diſputatum ſit, indicavimus.

C A P. X I V.

An jus, & auctoritatem Imperii transferendi hæc tabula contineat.

TRanslationem quidem Imperii hoc, ut oſtendimus, emblema undique exhibet, ſive primam ejus faciem intueare, ſive titulos inſcriptos, acclamationeſque perpendas, ſive cum altera eidem mutuo reſpondente imagine conferas, quæ Conſtantini reddit Imperium; utramque enim Leo, veluti παραλλήλους, inter ſe comparavit. Non ſolum autem translatum Imperium, ſed ejuſdem transferendi jus, auctoritatemque, ſi animum animadvertamus, illud triplicis clavis hieroglyphicum, de quo ſupra diſſeruimus (1), & ſtatim uberius dicam; quin & nuda ipſa illis inſignibus imago per ſe ſe refert, ac pene loquitur. Contemplentur tabulam qui Carolum Magnum, vel armorum contentione, vel hæreditario jure, vel Senatus populique Romani ſuffragio Imperium Romanorum iniiſſe contendunt. Unum prorſus agnoſcit tabula Leonis, & Caroli dignitatis auctorem Petrum Apoſtolorum Principem, Romanam, inquam, Eccleſiam. Imperii faſces ſi aliunde Carolus accepiſſet, quid hoc Leonis monumento incredibilius? imo quid excogitari ambitioſius, vel pictura exprimi audacius, vel Carolo, Populoque Romano proponi turpius ob oculos potuiſſet? Quam graviter Leo Caroli animum offendiſſet, cujus ampliſſima, eaque recentiſſima in illum extabant beneficia? Quam pernicioſe invidiam, odiaque Populi Romani in ſe concitaſſet, quo cum in gratiam tum primum redierat? Quam leviter denique alienum factum ſibi, eccleſiæque Romanæ adſcripſiſſet, idque publice, ac

Jus transferendi Imperium in hac tabula.

(1) Cap. 10.

ac tam alieno ſui Pontificatus tempore? Putamus Senatum, populumque Romanum ab hoc monumento, quo Reipublicæ libertas, auctoritas, imperium, tam aperte, tam graviter læderetur, manus abſtinere voluiſſe, aut potuiſſe, quando ad excutiendam Pontificum dominationem, non ſolum extincto jam Leone, ſuburbii moenia, quæ ille poſuerat (1), disjecit, ac funditus evertit; ſed etiam eidem vivo manus nefarias iniicere non dubitavit? Hic fortaſſe Junius (2) ad argutias illas ſuas, acumenque confugiat: Leo Carolum creavit Imperatorem *ſigno*, *non facto*; Imperii contulit *inſignia*, *non Imperium*. Si quo autem modo Carolum Leo Imperatorem *facto* creavit, id ut *partiaria cauſa* fecit, non aliter ac quilibet a Senatu Romano. Leo, inquit, ut quilibet e Senatu? Nonne audit Senatum, Urbemque univerſam hic acclamantem Leoni? Sed acclamatur, inquit, Leoni tanquam Senatus, Populique primario. Cedo quo potiſſimum nomine, quo titulo fuit Leo Reipublicæ Romanæ primarius; id quidem diſſimulare plane non licet, quod ipſa ſtatim prodet inſcriptio, de qua ſupra pluribus (3). In ea enim Leonem Populus Romanus DOMINVM NOSTRVM, ſuum ſcilicet, appellat. Ita ne ergo *Dominum* in ſubditorum ordinem redigat, ut cauſam Junius partiariam dicat? Non ita ſane Carolus Magnus, qui uni Romano Pontifici acceptum refert Imperium, neque eam rem ad Senatum, Populumque Romanum quicquam attinuiſſe, vel verbis aliquando indicavit, vel facto docuit. Quod ut manifeſtiſſime conſtet, argumenta cum ex iis cauſis, quæ Imperii translationem anteceſſerunt, tum ex conjunctis, tum demum ex iis, quæ ſunt conſecutæ, deſumam. Faciam id vero breviſſime; neque Caroli propinquorum memorias tranſiliam; quod unum illorum teſtimonium, ad rem hic conficiendam, mea quidem, & bonorum ſententia ſatis videatur, ac inſtar omnium. Quis enim Imperii translati rationem, formamque nos verius doceat, quam qui primi ex Pontificum auctoritate Imperatores fuere?

Sententia F. Junii de jure Imp. transferendi.

Diviſio diſputationis, & argumentorum.

I. locus argumentorũ ex iis, quæ præceſſerunt translationẽ.

M Prin-

(1) Anaſt. in Leon. IV.
(2) Adv. Bellar. cap. 4.
(3) Cap. 12.

Principio quidem pono quod eſt veriſſimum; Romanum, hoc eſt, Chriſtianorum Imperium duo illa in primis complecti ſummam inter Chriſtianos omnes Principes dignitatem, a quibus Cæſar quaſi pater Patriæ ſuſpicitur; & eccleſiæ defenſionem, quam illi quidem ceu Primipili, Cæſar vero tanquam Legionum Imperator ſuſcipere tenetur. Atqui Carolus Magnus ab uno Leone III. Romano Pontifice, & ſummum jus dignitatis, & eccleſiæ tuendæ munus accepit; tota igitur, univerſaque Imperii translati cauſa Leo fuit. Id quod in tabula exprimere auctor non prætermiſit; quem enim admodum pallio Petrum amicuit, ut eccleſiæ Romanæ in Leone reſtituendo auctoritatem ob oculos ſtatueret, ita jus inaugurandi Carolum Imperatorem tergemina clave, ut ſupra declaratum eſt (1), indicavit. Clavis namque duplex, ligandi ſcilicet, ſolvendique auctoritas penes alios eſt etiam eccleſiarum antiſtites: facultas vero ſecularia ad religionis amuſſim dirigendi, rerumque publicarum ſtatum temperandi, & ad Chriſtianæ pietatis cenſuram regna, & imperia moderandi, Apoſtolica plane eſt, & ſumma eccleſiaſtica poteſtas. Quæ, ut ſupra expoſui (2), licet a ligandi, ſolvendique poteſtate proficiſcatur; illi tamen jure ſolummodo convenit, qui unus omnium eſt pater, cenſor religionis, ac bene, beateque vivendi magiſter. Is ergo cum Romanus ſit Pontifex, ejus ſane fuerunt partes, ad regendum Imperium, quod a religione jam aberrarat, & pietatis præceptoribus Romanis Pontificibus bellum indixerat, hominem deſignare, qui, & religionis, & eccleſiæ Romanæ religionis magiſtræ cauſa, omnia vellet. Hæc autem cura non Senatum, populumque, ſed Pontificem Romanum tangebat religionis arbitrum. Eam porro fuiſſe originem, unde Carolus, ejuſque filii, ac nepotes Romanum adepti ſunt Imperium, Ludovicus junior Caroli pronepos a majoribus, non ſecus ac Imperium, per manus accepit, teſtatumque reliquit. *Propter orthodoxiam*, inquit (3), *regimen Imperii Romani ſuſcepimus, Græci vero propter cacodoxiam Roma-*

Unde Pont. Rom. jus transferendi Imperium.

Prima cauſa antecedens transl. Imp.

(1) Cap. 10.
(2) Cap. 10.
(3) Epiſc. ad Baſil. Imp.

Romanorum Imperatores exiſtere ceſſaverunt. Paulo vero ante dixerat: *Porro ſi calumniaris Romanum Pontificem quod geſſerit, calumniari poteris & Samuel, quod ſpreto Saule, quem ipſe unxerat, David in Regem ungere non renuerit. Verum ſuper hoc ſi eſt qui ſummo Pontifici ſaltem unum faciat muttum, congruo profecto illius non carebit reſponſo.* Primo quidem, ait, quod eccleſiæ Romanæ periclitanti ferre ſuppetias abnuerint Græcorum Imperatores; deinde quod Romanos Pontifices ipſi vexarint, & oppreſſerint. *Verum hæc,* inquit, *Pontifices, quæ extrinſecus agebantur facile parvipenderunt, niſi & intrinſecus, quæ per diverſas hæreſes perimere conantium molimina deprehenderunt. Unde merito apoſtatis* Græcis *deſertis, adhæſerunt genti* Francorum *adhærenti Deo, & ipſius regni fructus facienti.* Cum igitur non nudum Imperii nomen, ac dignitatis vacuum Carolo Magno collatum a Leone fuerit, ſed quod Græci Cæſares, antequam eo ſpoliarentur, obtinebant; integræ Imperatoriæ dignitatis cauſam integram fuiſſe eccleſiam Romanam liquet: *Ex qua,* idem Ludovicus ait (1), *regnandi prius, & poſtmodum imperandi auctoritatem proſapiæ noſtræ ſeminarium ſumpſit. Nam Francorum Principes, primo Reges, deinde vero Imperatores dicti ſunt, ii duntaxat, qui a Romano Pontifice ad hoc oleo ſancto perfuſi ſunt.* Cum vero ex crimine violatæ religionis (ut Imperator palam Imperatori exprobrat) Imperium Carolo decretum ſit a Leone, eam totam cauſam juris fuiſſe Pontificii, ad Senatum vero, populumque Romanum nihil omnino pertinuiſſe, nemo non videt. Quod & ſacramentum a Carolo Magno, ejuſque in Imperio ſucceſſoribus non Senatui, ſed Pontifici Romano dictum comprobat; comprobat Imperii confirmatio, quam ab uno Pontifice Maximo Ludovicus Caroli Magni filius, poſterique petierunt; de quibus modo differam; nam de Romanæ eccleſiæ defenſione, quæ altera ratiocinationis pars erat, antea dicamus.

Ad Imperii faſtigium Carolus eodem plane eſt evectus conſilio, quo Patricius pridem fuerat a Pontificibus conſtitutus.

Secunda cauſa antecedens translationem Imp.

(1) Ibidem.

tus. Scilicet ut eccleſiæ Romanæ partim barbarorum incurſionibus, partim hæreticorum perfidia periclitanti, armis, ope, patrocinioque Caroli *filii per arma*, ut dixi (1), jam tum *adoptati* conſuleretur. Quem ergo antea *Patricium defenſorem eccleſiæ* quæſiverant Pontifices, eundem *Cæſarem eccleſiæ defenſorem* Leo poſtmodum habuit, rituque ſolemni publice renunciavit. Atqui totam poſterioris deſignationis cauſam Pontificem fuiſſe non ambiget, cui conſtiterit eundem totam fuiſſe cauſam Caroli quoque Patriciatus. Petiit ille, extincto jam Hadriano, eam ſibi renovari præfecturam: a quo vero? Legationem ea de re graviſſimam, plenamque deſiderii Romam deſtinavit: ad quem autem? Ut ea ſibi dignitas, quam ardentiſſime ambiebat, concederetur; *pactum* promiſit, *fœdus* propoſuit, *fidem* ſpopondit: at cui tandem? Num Senatui, populoque Romano? certe ubi de re tanta Carolus egit cum Leone Pontifice, adeo nullam præ illo rationem civium Romanorum duxit, ducendamque intellexit, ut in ea Legatione ne nomen quidem illorum admiſerit, quin omnem ex ea Senatus, populique Romani memoriam abiecerit. *Illique* (Angeberto) *injunximus*, inquit (2), *ut ex collatione mutua* (cum Leone Pontifice, ad quem ſcribit) *conferatis quidquid ad Patriciatus noſtri firmitatem neceſſarium intelligeretis. Sicut enim cum beatiſſimo prædeceſſore veſtro ſanctæ paternitatis pactum inii, ſic cum beatitudine veſtra ejuſdem fidei, & caritatis inviolabile fœdus ſtatuere deſidero. Quatenus Apoſtolicæ ſanctitatis veſtræ, divina donante gratia, ſanctorum advocatis precibus, me utique Apoſtolica benedictio conſequatur, & ſanctiſſima Romanæ eccleſiæ ſedes, Deo donante, noſtra ſemper devotione defendatur.* Extollat hic Patriciam Caroli dignitatem Junius (3) plena quantum libet manu, & majeſtati exæquet Regiæ, vel Imperatoriæ Goldaſtus (4) inſolubili nexu conjungat: quidquid maximum de ea dicturi ſunt, totum pendere Carolus affirmabit ex una cauſa, Leone Pontifice Maximo. Inde eſt, quod cum ſuæ Carolus dignitatis munus, officium-

Patriciatus, & Imperii transl. idem auctor.

(1) Cap. 11.
(2) Epiſt. 84. ad Leon. apud Alcuin.
(3) Adv. Bellarm.
(4) Adverſ. Gretſer.

ciumque denotat, *Patricium* ſe ipſe *Romanorum* appellat; cum vero dignitatis originem explicat, quæ tota ex fœdere, pactoque cum Pontifice inito manabat, a quo & in liberi locum adoptatus fuerat, *Pontificis*, vel *eccleſiæ filium*, non item Senatus, populique Romani, ſe nominat. Neque populus Romanus unquam dicere auſus eſt, Stephanus vero Pontifex jure, meritoque dixit FILIOS MEOS ADOPTIVOS Pipinum, liberoſque ejus Carolum, & Carolomannum, cum ad illos jam tum Romanorum Patricios Triumviros perſcribebat. Quoniam vero non unus Carolus Magnus, ſed parens, fraterque Patricii Romanorum fuere, cedo ex his unum, qui ſuæ hujuſce dignitatis confirmationem, vel a Senatu, populoque Romano petierit, vel a ſingulis quibuſque tunc in Pontificatu ſuccedentibus, Romanis epiſcopis non acceperit? Fidem quam Leoni Carolus in ea Legatione obtulit, eandem Stephano III. Pipinus dedit (1), Paulo I. confirmavit (2), Stephano IV. Carolus, & Carolomannus profeſſi ſunt (3). Quibus ille: *Recordamini, peto, excellentiſſimi filii, quomodo vobis fideliter dicere viſus eſt præfatus veſter Dominus, ac genitor, promittens in veſtris animabus Deo, & beato Petro, atque ejus Vicario antefato ſanctæ recordationis prædeceſſori noſtro Domino Stephano Papæ, firmiter vos debere permanere erga ſanctæ eccleſiæ fidelitatem, atque omnium Apoſtolicæ Sedis Pontificum obedientiam, & illibatam caritatem. Et poſtmodum prædeceſſori noſtro Domino Paulo Papæ, eadem vos una cum eodem veſtro genitore certum eſt plerumque per miſſos, & ſcripta promiſiſſe; & poſt deceſſum antefati ſanctæ memoriæ patris veſtri, & vos ipſi ſæpius tam per veſtros miſſos, quamque per litteras, ſimulque & per Sergium fideliſſimum nomenclatorem, & per alios noſtros miſſos nobis ſpopondiſtis, in eadem vos veſtra promiſſione, ſicut genitor veſter, circa ſanctam Dei eccleſiam, & noſtram fidelitatem eſſe perſeveraturos.* Hadriano denique I. eandem Carolus fidem (4), *ad ſancti Petri confeſſionem*, ratam firmamque habuit. Scilicet quibus acceptam

Patriciatus confirmatio a Pont. Rom

(1) Annal. Franc. & ep. 1. & 2.
(2) Epiſt. 1. 20. 28.
(3) Epiſt. ad eoſdem.
(4) Epiſt. 30. & 32.

ptam Patriciatus dignitatem referebant, iis & ſacramentum Pipinus, liberique ejus dixerunt; non Senatui, populoque, ſed eccleſiæ Romanæ, *Deo*, inquit, *& beato Petro, atque ejus Vicariis, & nobis*. Quod iidem Pontifices ſuis ad eoſdem Patricios epiſtolis ſæpe ſæpius inculcant, illudque juramentum *fidelitatis* appellant. In quam ſententiam Carolus ad Leonem, *relictis*, ait (1), *excellentiæ veſtræ litteris, & audita decretali chartula, valde, ut fateor, gaviſi ſumus, ſeu in electionis unanimitate, ſeu in humilitatis noſtræ obedientia, & in promiſſionis ad vos fidelitate*. *Ad nos* perperam habent libri Pariſiis editi, quos ex ea Stephani IV. epiſtola corrigere licet. Nam Carolus qua Romanus Patricius, hoc eſt, Urbis Præfectus, & eccleſiæ Romanæ defenſor *obedientiam*, & *fidelitatem* Pontifici profitebatur. Quam importune igitur iſti nobis (2) occinunt Populi Romani acclamationes, & Goldaſtus illud Ottonis Friſingenſis (3): *Ipſe vero* Carolus Magnus *acclamante populo univerſo Patricius Romanorum appellatur*. Acclamatum quidem eſt a populo, ſed Hadriani factum ille modo probavit; quam etenim auctoritatem in eo facto populus, atque Senatus habuit, qui Carolo ipſo teſte, nullam habuit? Vide quid in eam rem Senatus conferre potuit, qui tum a Leone III. in diverſas factiones recedebat, cum Leo Carolum Patricium, & eccleſiæ Romanæ defenſorem renunciavit. Qua ille una renunciatione fretus (nihil enim ad ſui Patriciatus ſtabilitatem requiri præterea ſentiebat) tandem Romam venit, & (quod Patricii munus erat) rebellionem cohibuit, ac perduelles Leoni ſubjecit. Duæ autem eodem tempore de Patriciatu Romano Legationes altera Pontificia, regia altera ultro citroque commearunt. Carolus, ne Hadriano Pontifice jam vita functo, alteri Patriciatus a ſucceſſore decerneretur, inſtaurari ſibi eam dignitatem per Angebertum a Leone petebat. Leo rurſus ut rebelles Romanos in officio contineret, Carolo Patriciatum ultro confirmabat, miſſis ad eum clavibus confeſſionis ſancti Petri, Urbiſque vexillo.
Quo-

(1) Epiſt. 84 ad Leon. apud Alcuin.
(2) Junius loc. cit.
(3) Ration. con. Imp.

Quorum inſignium duorum altero quidem civilis, altero vero eccleſiaſticæ rei defendendæ facultas Carolo deferebatur. Neque enim claves illæ (quod clariſſimorum virorum (1) pace dixerim) hujuſmodi erant, quales *eulogiæ*, & *benedictionis* gratia Gregorius Magnus Regibus, Principibus feminis, atque adeo etiam amicis mittit; ſed quibus templi Vaticani aptabantur fores, vel quibus Petri monumenti adyta, & penetralia ſervabantur. Haſce, & munera, quibus Leo Carolum proſecutus eſt, diſerte diſtinguunt Auctores; diſerteque omnes non *eulogias* vocant, ſed *claves confeſſionis ſancti Petri*, eaſque tum maxime miſſas affirmant, cum Caroli patrocinium implorabatur. Perſpecta res erit, ſi ejus originem, fontemque aperiamus. Nam ſi ad ea interpretamenta noſtri confugiunt, ut cavillos ſolvant hæreticorum, qui per *claves*, atque *vexillum* Carolo conceſſum Urbis dominium volunt; hos nihil æque, ut ipſa rei veritas eludit, quam nude, ſincereque proponimus. Poſt excuſſam a Gregorio II. Pontifice Leonis Iſauri Imperatoris hæretici dominationem, Gregorius III. ſucceſſor primus exterorum Principum auxilia, & ſocietatem quæſivit ſibi, & eccleſiæ Romanæ. Quæſivit autem a Carolo Martello per binas Legationes, quibus ei *urbanam præfecturam* obtulit, & *defenſionem* ab eodem exegit. Illam quam liberaliter Gregorius polliceretur, hanc quam ardenter expeteret, ita declaravit, ut nihil tam dignum, tam ſanctum Romæ haberi Carolus Martellus intelligeret, quod non ſub ejus præſidio eſſe Gregorius vellet, quando *confeſſionis ſancti Petri claves* in illius manus ultro coniiceret. *Conjuro te* (inquit Gregorius Pontifex (2) *per Deum vivum, & verum, & per ipſas ſacratiſſimas claves confeſſionis beati Petri, quas vobis ad regimen direximus, ut velocius ſub nimia feſtinatione ſentiamus, poſt Deum, tuam conſolationem ad noſtram defenſionem*. Hæc quidem in ſecunda Legatione; primæ autem, quæ intercidit, ita ſententiam, qui vidit auctor, expreſſit (3). *Eo tempore bis a Romana Sede ſancti Petri*

Carolo M. cur claves, & vexillum mittitur.

(1) Bellarm. de transl. libr. 1. cap. 13. Baron. ad ann. 796.

(2) Epiſt. ad Car. Martell.

(3) Append. ad Greg. Turon. cap. 180.

Petri Apoſtoli beatus Papa Gregorius claves venerandi ſepulchri cum vinculis ſancti Petri, & muneribus magnis & infinitis, & Legationem (quod antea nullis auditum, aut viſum temporibus fuit) memorato Principi deſtinavit: eo pacto patrato; ut a parte Imperatoris recederet, & ut Romanum Conſulatum præfato Principi Carolo ſanciret. *Conſulatum* vocavit Patriciam dignitatem, & civilem Urbis adminiſtrationem, quam *regimen* ſuperiore epiſtola dixit. Quod *regimen* Carolo Magno cum Leo III. inſtauraret, ad *claves* addidit *vexillum*, ut eo diſtinctius, & ditionis, & religionis tutelam eidem a ſe demandatam oſtenderet. En tibi rem ſua luce clariſſimam. Claves ergo adyti Vaticani miſſæ ſunt; ut Carolo quidem Martello eccleſiæ Romanæ tuendæ negotium daretur, Carolo autem Magno confirmaretur. Quale enim in Urbe dominium Carolus Martellus unquam exercuit? ſuſceptam tamen ab illo eccleſiæ Romanæ defenſionem, fœduſque initum cum Gregorio III. Græcorum, Latinorumque hiſtoriæ, datæque ad eum epiſtolæ loquuntur. Ceterum in hac tabula Urbis vexillum Carolus Auguſtus accipit, quod & ſi Patricii nomen, cum Cæſar declararetur, depoſuit; defenſoris tamen officium retinuit, ad idque ſacramentum eccleſiæ Romanæ dixit.

II. locus argumentorú ex cauſis conjunctis. Secundum hoc cauſarum genus eſt, quo Pontificis Romani plenam Imperii transferendi auctoritatem intelligimus; juramentum a Carolo, ejuſque in Principatu ſucceſſoribus non Senatui, ſed eccleſiæ Romanæ datum. Hic ego non mirer eſſe quemquam, qui ſibi perſuadeat (1) a Carolo Magno nullum Pontificibus Romanis dictum fuiſſe juſiurandum, credatque commentitium eſſe quod Caroli nomine circumfertur? Hoc qui exiſtimat, non videt, vel non videre ſe ſimulat illam Caroli de petitione Patriciatus Legationem, quam hic crebrius inculcare cogimur. *Sicut enim*, inquit ille (2), *cum beatiſſimo prædeceſſore veſtro ſanctæ Paternitatis pactum inii, ſic cum beatitudine veſtra ejuſdem fidei, & caritatis inviolabile fœdus ſtatuere deſidero.* Patriciorum juramentum Eſſe vero *pactum*, vel *fœdus* poſſe putamus, in quo fides non intercedat, aut religio?

(1) Goldaſt. in ration. Conſt. Imp. (2) Epiſt. 84. ad Leon. apud Alcuin.

religio? Hadrianus I. Carolo (1) ſæpe in mentem revocat aram Vaticanam, & Principis Apoſtolorum penetrale, ubi pacta inierant; Paulus I. (2) Stephanus III. (3) & IV. (4) factæ Deo, & beato Petro pollicitationis Pipinum, liberoſque ejus admonent; quam qui violaverit, eidem ſacris omnibus interdictum volunt. Equidem non inficior complures fuiſſe Reges, ac Principes Chriſtianos eccleſiæ Romanæ defenſores, qui ad id nulla pacti, vel fœderis, ſed ſola benevolentiæ, ac ultroneæ pietatis lege tenerentur. Verum, qui defenſionem eccleſiæ Romanæ cum Patriciatu conjunctam ſuſcipiebant, ii certis pactionibus agebant cum Romano Pontifice, eidemque ſe ſacramento obſtringebant; quod ex illa Caroli Magni Legatione, & ex Ludovici, & Caroli Calvi fratrum juramento intelligis. *Mundeburdem autem, & defenſionem*, inquiunt (5), *ſanctæ Romanæ eccleſiæ pariter conſervabimus: in hoc ut Romani Pontifices nobis debitum honorem conſervent, ſicut eorum anteceſſores noſtris anteceſſoribus conſervaverunt. Sic me Deus adjuvet, & iſti ſancti. Honor*, quem ſibi majorum exemplo conſervari petunt, eſt Carolo Martello delatum a Gregorio III. *regimen* Urbis, ſeu *conſulatus*, de quo modo dicebam. Conditiones enim, quibus Pontifices Maximi eccleſiæ Romanæ defenſionem Francorum Regibus concrediderunt, civilis cum Romæ, tum in Pontificia ditione adminiſtratio fuit, certa forma, atque ratione, præſcripta. Quæ cum honeſtiſſima fuerit ampliſſimaque, in eam nonnullos adduxit ſententiam, ut crederent Carolum Magnum Romæ, ac in reliquis Pontificum provinciis rerum potitum fuiſſe; cum tamen in Pontificum ditione Carolus alienæ dominationis vicarius fuerit. Ad quod probandum, & ſi reliqua (quæ hujus loci non ſunt) deſideraremus, una hæc juramentorum religio, ac forma ſatis ſuperque eſſe poſſet. Pipinus liberique ejus ambo pacta, conventaque cum Stephano III. quo jurejurando ſanxerint, utraque ejuſdem Pontificis evocatio plena terroris indicat. *Conſiderate*, inquit (6), *dilectiſſimi*,

Pontificum pacta cum Patriciis.

N

(1) Epiſt. 30. & 32.
(2) Epiſt. 20. & 28.
(3) Epiſt. 1. & 2.
(4) Epiſt. 1.
(5) Cap. 33. edit. Sirmund.
(6) Epiſt. 1.

ctiſſimi, & omnino percogitate (per Deum vivum vos conjuro) quoniam poſt Deum, & ejus Principem Apoſtolorum, noſtræ omnium Romanorum animæ in vobis pendent; & ſi perire (quod abſit) eas contigerit, penſate in cujus animam reſpiciat id peccatum. Certe enim omnino credite Chriſtianiſſimi, ſi nobis aliqua evenerit calamitas (quod abſit) periclitandi, vos de omnibus ante tribunal Dei eritis reddituri rationem, &c. Ne ſi amplius neglexeritis nos eruendum, nobis irruat calamitas pereundi, & vobis pertineat ad magnum detrimentum, & peccatum, atque condemnationem in præſenti, & æterna vita, quia vobis animas omnium noſtrorum Romanorum tradidimus. Id ſeverius in altera evocatione, in qua Petrum Apoſtolum dicentem inducit (1): *Ecce, filii cariſſimi, prædicans admonui vos. Sin autem (quod non credimus) aliquam poſuerítis moram, aut adinventionem, minime velociter hanc noſtram adimplendam adhortationem ad liberandam hanc meam civitatem Romanam, & populum in ea commorantem, & ſanctam Dei Apoſtolicam eccleſiam a Domino mihi commiſſam, ſimul & ejus Præſulem.* SCIATIS. VOS. EX. AVCTORITATE. SANCTÆ. ET. VNICÆ. TRINITATIS. PER GRATIAM. APOSTOLATVS. QVÆ. DATA. EST MIHI. A. CHRISTO. DOMINO. VOS. ALIENARI PRO. TRANSGRESSIONE. NOSTRÆ. ADHORTATIONIS. A. REGNO. DEI. ET. VITA. ÆTERNA. Eamdem anathematis ſententiam Stephanus IV. in Carolum, fratremque ejus Carolomannum pronunciavit, quo illos a conjugio cum Deſiderii Longobardorum Regis eccleſiæ Romanæ crudeliſſimi hoſtis filia deterreret. *Si quis veſtrum*, ait (2) *quod non optamus) contra hujuſmodi noſtræ conjurationis, atque exhortationis ſeriem agere præſumpſerit:* SCIAT. SE. AVCTORITATE. DOMINI. MEI. B. PETRI. PRINCIPIS. APOSTOLORVM. ANATHEMATIS VINCVLO. ESSE. INNODATVM. ET. A. REGNO DEI. ALIENVM. ATQVE. CVM. DIABOLO. ATQVE EIVS. ATROCISSIMIS. POMPIS. ET. CETERIS. IMPIIS. ÆTERNIS. INCENDIIS. CONCREMANDVM DE-

(1) Epiſt. 2.   (2) Epiſt. 1.

DEPVTATVM. Quæſo, quæ hæc eſt obſecratio, inquies, plena execrationis, & minarum? Quin illud mirare maxime; Pipinum, & Carolum Francorum Reges ad periculoſa belli certamina e remotiſſimis provinciis, aliena de cauſa, ære, militeque ſuo venire, atque ad tantum impendium, & diſcrimen acerbiſſimis minis trahi. Id eo ſcilicet, quod præter Romani Patriciatus honores, & commoda, quibus Caroli, & Francorum Regum in Romanam eccleſiam meritum compenſabatur, iidem ſacramento tenerentur, iis plane verbis concepto, quibus hodie Reges, ac Principes ſe obligare, deque ſe mutuis armis tuendo cavere inter ſe conſueverunt. Audi ſyngrapham, atque conditiones, in quas Carolus juraverat, a Stephano IV. eidem productas (1): *Excellentiam veſtram oportet meminiſſe, ita* VOS. BEATO. PETRO. ET: PRÆFATO. VICARIO EIVS (Stephano III.) VEL. EIVS. SVCCESSORIBVS SPOPONDISSE. SE. AMICIS. NOSTRIS. AMICOS ESSE. ET. SE. INIMICIS. INIMICOS; *ſicut & nos in eadem ſponſione firmiter dignoſcimur permanere*. Par ergo, & mutua hæc erat Pontificum, atque Regum Francorum inter ſe ſtabilita defenſio. Nec Stephano III. tantum, qui primus cum Pipino, & Carolo Magno his conditionibus egit; ſed reliquis etiam Leonis III. præceſſoribus datum id fuit ſacramentum. Leoni quidem per Angebertum Legatum Carolus ipſe fidem ſuam præſtitit (2). Acceptum ab eodem jusjurandum non unis litteris Hadrianus I. memoriæ poſteritatis commendavit (3); idemque cum ceteris anteceſſoribus minime neglectum fuiſſe Stephanus IV. oſtendit. *Recordamini peto, excellentiſſimi filii* (4), *quomodo vobis fideliter dicere viſus eſt præfatus veſter Dominus, ac genitor, promittens in veſtris animabus Deo, & beato Petro, atque ejus Vicario antefato ſanctæ recordationis prædeceſſori noſtro Domino Stephano Papæ, firmiter vos debere permanere erga ſanctæ eccleſiæ fidelitatem, atque omnium Apoſtolicæ Sedis Pontificum obedientiam, & illibatam caritatem: & poſtmodum præde-*

(1) Epiſt. 1.
(2) Epiſt. 84. ſup: cit.
(3) Epiſt. 30. & 32.
(4) Ibidem.

prædeceſſori noſtro domino Paulo Papæ, eadem vos una cum eodem veſtro genitore, certum eſt, plerumque per miſſos, & ſcripta promiſiſſe, & poſt deceſſum antefati ſanctæ memoriæ patris veſtri, & vos ipſi ſæpius tam per veſtros miſſos, quamque per litteras, ſimulque, & per Sergium fideliſſimum noſtrum nomenclatorem, & per alios noſtros miſſos nobis ſpopondiſtis, in eadem vos veſtra promiſſione, ſicut genitor veſter, circa ſanctam Dei eccleſiam, & noſtram fidelitatem eſſe perſeveraturos. Jam quæſo in his omnibus tabulis inter Pipinum, liberoſque ejus, ac inter tot Pontifices inſtauratis firmatiſque Senatum Romanum, ejuſque auctoritatem, vel memoriam omnibus veſtigiis (ſi quæ vel leviſſima Junius odoratur) indaget. In iis certe Pipinus, Carolus, & ſi quis alius, cum Pontificibus tantum rem egerunt, eccleſiæ Romanæ pacta jurarunt, beato Petro, atque ejus ſucceſſoribus ſacramentum dixerunt. Quid Senatui, cum eccleſia Romana, cum Petro, cum Pontificibus? Jam vero neque illud prætereundum videtur, quod juramentorum religionem mutuis benevolentiæ declarationibus ii cumulare ſolerent, inter quos fœdus ſanciebatur, ut hoc magis ratum, gratum, ſanctumque haberetur. Ea vero tempeſtate ſingularis id erat argumentum amoris, ut fœderatorum liberi certis ritibus viciſſim in familias reciperentur. Quare Carolus Martellus *princeps Francorum* (1) *Pipinum filium ſuum ad Luitprandum direxit, ut ejus (juxta morem) capillum ſuſciperet. Qui ejus cæſariem incidens, ei pater effectus eſt, multiſque eum ditatum regiis muneribus genitori remiſit*. Hinc illa minime ante hac uſurpata conſuetudo, ut Francorum Regum liberi a Pontificibus Maximis ad ſacrum baptiſmatis lavacrum in filiorum locum ſumerentur. Stephanus III. ita ſibi Pipini filium adſcivit; eodem ritu a Paulo I. ut adoptaretur filia, quam tum Pipinus ſuſceperat, in Urbem a Patre mittitur. Miſit & Carolus Magnus filium, quem Hadrianus I. arrogavit. Unde Pontifice Romano, quo *compatre* uteretur, ille quidem nullo non tempore, nullo non in loco gloriabatur, hic vero idem aliquando de ſe nomen

Studia inter Pont. & Franc Reges fœderatos.

(1) Paul. Diac. libr. 6. cap. 53.

nomen prædicavit apud Orientis Imperatores (1). His ne unquam ſtudiis egerunt cum Senatu Romano Francorum Reges? Contra vero, vide in illos fœdere, & amicitia conjunctos mutuam Pontificum caritatem. Nam ab hoc tempore (quod antea nunquam auditum eſt) Gallorum Reges ECCLESIÆ ROMANÆ FILII ADOPTIVI allecti ſunt (2), atque ſolemni ejus ætatis ritu, quem undecimo capite indicavi, ac modo proponam, ſunt inſtituti. Claves adyti Vaticani nullis unquam Chriſtianis Principibus creditas illi a Gregorio III. deinde ab aliis Pontificibus acceperunt (3). *Eccleſia ſanctæ Petronillæ* in Vaticano (4) *pro laude, æternaque memoria nominis Pipini conſecrata eſt* a Paulo I. Eaque cauſa fuit (quæ viros doctos hodie latet) cur eam Baſilicam Francorum Reges tam ſancte coluerint, ut poſt longiſſimi temporis diuturnitatem Ludovicus XI. illam inſtaurari juſſerit; Henricus vero IV. ejuſdem jus, quod *patronatus* appellant, a Clemente VIII. Pontifice ſibi confirmandum curaverit. Bonum ſane factum, ut in ara ſanctæ Petronillæ, quæ nunc ex magnifico templo una in Vaticano reliqua eſt, & Pipini æterna memoria vigeat, & Pontificum in Francorum Reges defenſores, atque Urbis Præfectos, immortale ſtudiorum viciſſitudinis monumentum perduret. Neque vero, dum de ſacramento quærimus, quod Pontificibus Maximis dici ab Imperatoribus conſuevit, ab re quis eſſe putet quæ de Pipini, & Caroli Urbis Patriciorum juramento diſputamus. Unum enim idemque fuit. Quemadmodum autem Romanorum Patricii, ac Cæſaris eadem fuit inſtituendorum ratio, eccleſiæ ſcilicet Romanæ defenſio; ita par fuit illorum jurandi forma, ac ritus idem. Imo, poſt Carolum Magnum nemo ſuſcepit Imperii faſces, niſi prius eccleſiæ Romanæ *filius*, hoc eſt *defenſor* idem ſit declaratus. Habent id veteres libri rituales. In veſtibulo enim templi Vaticani antequam ad inaugurationis celebritatem Cæſar ingrediatur: *Quærit ab eo Dominus Papa ter* (5), *ſi vult habere pacem cum*

Patricii Rom. & Imperatoris idem juramentum.

(1) Epiſt. Synod. ad Conſt. & Iren.
(2) Steph. III. epiſt. 2.
(3) In epiſt. ad Car. Mart.
(4) In epiſt. 51. Pauli I.
(5) Cerem. apud Cenc. Cam.

cum eccleſia, eoque ter reſpondente, volo, Domnus Papa dicit, & ego do tibi pacem ſicut Chriſtus dedit Diſcipulis ſuis; oſculaturque frontem ejus, ac mentum (raſus enim eſſe debet) & ambas genas, poſtremo os. Tunc ſurgens Domnus Papa ter quærit ab eo ſi vult eſſe FILIUS ECCLESIÆ: quo ter reſpondente, volo; Domnus Papa dicit: & ego te recipio, ut FILIUM ECCLESIÆ, & mittit eum ſub manto, & ille oſculatur pectus Domni Papæ. Hæc illa eſt Patricii Romanorum ſolemnis, ac celebris adoptatio, quam toties Pipino, & Carolo Magno Stephanus III. ob oculos proponit; quam ſibi Carolus ab Hadriano I. conceſſam affirmat; quam idem a Leone III. ut undecimo capite dixi, ſummis votis, ſummoque opere flagitat; quam denique eccleſiaſtico more vides expreſſam ex ea laicorum Principum conſuetudine, quam ex Theodorici formula ibidem attulimus. Antequam vero Patricius Romanorum hunc in modum a Pontifice adoptaretur filius, vel Auguſtus crearetur, jurare conceptis, conſultiſque jam inde a Carolo Magno verbis conſuevit. Quod juramentum non veteres modo, ſed recentiores etiam rituales libri præſcribunt. Ejus autem ſententiam, verba, ac pene formulam Carolus in frequentiſſimo Francorum conventu hæredibus ſuis, ac in Imperio ſucceſſoribus teſtamento legavit: *Super omnia autem jubemus* (1), *ut ipſi tres fratres curam, & defenſionem ſancti Papæ ſimul ſuſcipiant, ſicut quondam ab avo noſtro Carolo, & beatæ memoriæ genitore Pipino Rege, & a nobis poſtea ſuſcepta eſt, ut eum cum omni adjutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & juſtitiam ſuam, quantum ad ipſos pertinet, & ratio poſtulat, habere faciant.* Eat nunc Melchior Goldaſtus, & modo Caroli Magni ſacramentum revocet in dubium; modo *unum* dicat *eſſe jusjurandum, quod Pontifici Romano, & Præpoſito, & Capitulo eccleſiæ Aquiſgranenſis præſtari ab Imperatoribus ſolet in unctione, & coronatione Aquiſgranenſi.* Scilicet Præpoſitus ille Carolum Magnum, vel reliquos Cæſares filios adoptivos adſcivit, appellavitque, Aquiſgrani Patricios conſtituit, ſuis provinciis præfecit, dum

(1) In teſtament. Car.

dum ſibi ab hoſtibus periculum fuit, ad ſuppetias ſibi ferendas accivit, cunctantibus, vel minatus eſt, vel ſacris interdixit, vel datæ religionis reos declaravit.

III. locus argumentorum ex iis, quæ transl. ſunt conſecuta.

Venio ad ultimum genus cauſarum, quæ, ut initio propoſui, translationem Imperii ſunt conſecutæ. His Carolus eo luculentius Romani Pontificis auctoritatem oſtendit, quo ſucceſſores ipſe ſuos inde petere docuit Imperium. Eas enim tabulas, quibus tripartitum Imperium filiis relinquebat, a Leone III. confirmandas eum curaſſe litteris proditum eſt. *Conventum* (inquit auctor Annalium Francorum (1) *habuit Imperator cum primoribus, & optimatibus Francorum de pace conſtituenda, & obſervanda inter filios ſuos, & diviſione facienda in tres partes, ut ſciret unuſquiſque illorum, quam partem regere deberet, ſi, patre mortuo, ſuperſtitem eſſe contingeret. De hac partitione, & teſtamentum factum, & jurejurando ab optimatibus Francorum confirmatum, & conſtitutiones, pacis conſervandæ cauſa, factæ: atque hæc omnia litteris mandata ſunt, & Leoni Papæ, ut ipſe ſua manu ſubſcriberet per Eginhartum miſſa. Quibus Pontifex lectis, & aſſenſum præbuit, & propria manu ſubſcripſit*. Hoc teſtamentum varie noſtros, ac adverſarios interpretari video. Eſt qui exiſtimet (2) *de Imperio nullam in eo mentionem haberi*, ne fortaſſis hæreditario jure ad poſteros perveniſſe videatur, vel a Carolo conſtitutum de Imperii ſucceſſione fuiſſe, quæ a Pontificis arbitrio penderet. At ſtatim initio tabularum. *Poſt noſtrum*, Carolus ait (3), *ab hac mortalitate diſceſſum hujus a Deo conſervandi regni, & imperii noſtri hæredes relinquere, ſi ſic divina majeſtas annuerit, optamus*: & mox: *diviſiones vero a Deo conſecrati, & conſervandi imperii, vel regni noſtri tales facere placuit, ut Aquitaniam &c.* Nam ut olim Conſtantinus Magnus tribus liberis Conſtantio, Conſtanti, atque Conſtantino Imperium certa partitione legavit; ita Carolum, Pipinum, & Ludovicum filios Carolus Magnus Imperii ſucceſſores nominavit; prioribus tamen illis duobus extinctis, *Ludovicum, qui ſolus* (ut

(1) Ad ann. 806.
(2) Baron. ad ann. 806.
(3) In vit. Car. M.

(ut Eginhartus ait (1) *filiorum Hildegardis ſupererat, congregatis Francorum primoribus, cunctorum conſilio conſortem ſibi totius regni, & Imperialis nominis hæredem conſtituit*. Qua vero id auctoritate fecit? ea, quam per Eginhartum Legatum (quod auctor illorum temporum æqualis narrat) a Leone Pontifice Maximo impetrarat. Hic Junius atque Mornæus illas Caroli teſtamenti tabulas ad Romanum Pontificem ideo miſſas contendunt, ut a Leone III. tanquam a teſte ſolummodo conſignarentur. Scilicet erat bonorum hominum, fideque dignorum ea tum in Galliis penuria, ut Carolo trans alpes locuples unus teſtis quærendus fuerit. At diſerte auctor: *Quibus Pontifex lectis, & aſſenſum præbuit, & propria manu ſubſcripſit*. ASSENSUS Pontificis Maximi requirebatur, & MANUS, ut Caroli Magni teſtamentum, in quo ſucceſſores Imperii deſignabantur, pondus, atque momentum haberet. Verum ſi de Caroli facto, atque ſententia in re tam clara inter iſtos ambigitur; domi eſt interpres Caroli filius Ludovicus, qui facto ſuo parentis factum declaravit: imo in Imperii nova ſucceſſione ſervavit, quod a patre unice obſervandum acceperat; nimirum ne inconſulto Romano Pontifice de Imperio quicquam ſtatueretur. Is etenim Ludovicus parentis exemplo tribus liberis univerſam ſuorum partitur regnorum ditionem, ex quibus duos creavit Reges, Lotharium tantummodo Auguſtum appellavit. *Conventum*, inquit auctor (2), *Aquiſgrani habuit, in quo filium ſuum primogenitum Lotharium coronavit, & nominis, atque imperii ſui ſocium ſibi conſtituit: ceteros Reges appellatos unum Aquitaniæ, alterum Bajoariæ præfecit*. Sed nihil hic, inquit, de illo Pontificis *aſſenſu*, vel *manu*. Audi teſtem locupletiſſimum, Agobardum archiepiſcopum Lugdunenſem, qui tam veram narrat, quam in aures narrat Ludovici auctoris, qui fecit: *Ceteris filiis veſtris* (3) *deſignaſtis partes regni veſtri, ſed ut unum regnum eſſet non tria, prætuliſtis eum illis, quem participem nominis veſtri feciſtis; ac deinde geſta ſcribere mandaſtis, ſcripta*

(1) In vit. Car. M.
(2) Annal. Franc. ann. 817.
(3) Agobardus Lugdunen. ad Ludovic. Imp. de diviſ. Imp.

ſcripta ſignare & roborare, & conſortem nominis veſtri factum Romam miſiſtis a ſummo Pontifice geſta veſtra probanda & firmanda. *Probata* vero, *firmataque* fuiſſe, eidem alibi repetit Agobardus. *Si enim quod veſtra voluntate* (1), *& poteſtate, cum conſenſu totius Imperii veſtri factum eſt, & poſtea in Apoſtolica Sede roboratum, hoc vult* Gregorius IV. *in priſtinum reducere ſtatum, ſatis rationabilis, & opportunus eſt ejus adventus.* Nimirum ait Agobardus, nullo jure, ob exorta tum domi diſſidia, a Ludovico Lotharium filium Imperio privandum, qui Pontificis calculo Imperium obtineret Sed hæc plus etiam ſatis ad rem præſentem. Illud unum relinquitur, ut de Imperii transferendi cauſis promiſſum faciamus.

C A P. X V.

An hujus tabulæ inſcriptiones translati Imperii cauſas indicent.

QUI reſtitutionem Leonis Pontificis Maximi, & Caroli Imperatoris renunciationem una eademque in tabula conjunctas videt, eumque titulum legit:

S C S̄ S I M V S. D. N. L E O. P A P A
D. N. C A R V L O. R E G I

haud temere ſibi perſuadeat gratiæ Carolo referendæ cauſa, eundem a Leone Pontifice auctum fuiſſe Imperii dignitate. Certe id Theophanes diſertis verbis aſſeveravit (2): Ὁ δ᾽ ὄτ Κάρȣλον ἀμειβόμενος ἔστεψεν αὐτὸν εἰς βασιλέα Ῥωμαίων *Leo vicem Carolo recompenſans coronavit eum in Imperatorem Romanorum.* Quod, qui Pontificum facta non æquo expendunt animo, non tam juſtam Imperii tranſportandi cauſam fuiſſe dicent, ut non privatum potius officium, quam publicum bonum reſpicere ea videatur. Verum neminem negaturum arbitror, ei, qui reipublicæ patrem e ſupremo periculo ereptum, in integrum reſtituerit, ſummos in republica honores deberi, atque adeo auguſtiſſimum Imperii gradum, ſi dum Imperii moderator idoneus

Cauſa a Theophane allata.

O quæ-

(1) Idem ad eund. de compar. utriuſq. regim. (2) In Chron.

quæritur, ipſe virtute, animi magnitudine, pietate denique Imperio ſe dignum oſtendat. Id Theophanes approbavit, & conceſſæ Carolo dignitatis occaſionem exiſtimavit convenientiſſimam. Verum transferendi cauſas Imperii tres potiſſimum habuit Leo, habuerunt ejus prædeceſſores inde a Gregorio II. Quod Orientis Imperatores peſſum religionem dediſſent; quod Pontificum Maximorum neglecta defenſione, hoſtes evaſiſſent; quod jura eccleſiæ Romanæ per ſcelus occupaſſent. Jam ſingula videamus; quæ ſuperiore capite ſolum innuimus.

Cauſæ quas habuerunt Pontifices Rom.

I. cauſa transferendi Imperii.

Religionis crimen Ludovicus Auguſtus Baſilio Macedoni exprobravit (1). *Sicut nos Chriſtiani*, inquit, *per fidem Chriſti Abrahæ ſemen exiſtimus, & Judæi per perfidiam Abrahæ filii eſſe deſierunt; ita quoque nos propter orthodoxiam, ideſt, bonam opinionem, regimen Imperii Romani ſuſcepimus: Græci vero propter cacodoxiam, videlicet malam opinionem Romanorum Imperatores exiſtere ceſſaverunt*. Et quamvis Iconomachi Cæſares in Romanos antiſtites, ut res ipſa probavit, odio fuerint hoſtili; non inſidiæ tamen, non bonorum eccleſiæ direptiones (de quibus dicam) non bellorum incendia, ita ut violatæ religionis piaculum permovit Pontifices, quo imperium illis de manibus eriperent. *Porro ſi calumnieris* (inquit Ludovicus (2) *Romanum Pontificem quod geſſerit, calumniari poteris & Samuel, quod ſpreto Saule, quem ipſe unxerat, David in Regem ungere non renuerit, &c. Et ſi quæ a veſtratibus Pontifices Romani pertulerunt, perſcruteris, profecto invenies, unde illos juſte non valeas redarguere. Verum hæc illi, quæ extrinſecus agebantur facile parvipenderunt, niſi & intrinſecus, quæ per diverſas hæreſes perimere conantium molimina deprehenderunt. Unde merito apoſtatis deſertis adhæſerunt genti adhærenti Deo, & ipſius regni fructus facienti*. Neque, a recta fidei ſententia aberrantes licet Græcorum Cæſares eccleſia Romana ſtatim proſcripſit, vel deſeruit; ſed modo libertate litterarum, modo Legationum auctoritate, modo publicis Synodorum congreſſionibus ab errore illos deterrere, & ad veritatem allicere ſtuduit annos perpetuos quinque, &

(1) In epiſt. ad eundem. (2) Ibidem.

& ſeptuaginta. Italiæ vero populos tum primum defectionem parantes, quoad licuit, in officio continuit; tandem Gregorius II. ubi Leonis Auguſti ſenſit pertinaciam, & exercitatam impietatem, Romanum Senatum, Italiamque ſacramento liberavit. Gregorii factum, quod hodie Catholicæ fidei deſertores adeo deteſtantur, ſumma cum ejus laude Theophanes homo Græcus, idemque ſanctus narravit (1): Γρηγόριος ὁ πανίερος, καὶ ἀποστολικὸς ἀνὴρ, καὶ Πέτρου τοῦ κορυφαίου σύνθρονος, λόγῳ, καὶ πράξει διαλάμπων ἀπέστησε Ῥώμην καὶ Ἰταλίαν, καὶ πάντα τὰ ἑσπέρια τῆς τε πολιτικῆς, καὶ ἐκκλησιαστικῆς ὑπακοῆς Λέοντος, καὶ τῆς ὑπ᾽ αὐτὸν βασιλείας. *Gregorius ſanctiſſimus, & Apoſtolicus vir, Petri Coryphæi confeſſor, verbo & opere illuſtris, Romæ, Italiæ, ac totius Occidentis ordines cum civiles, tum eccleſiaſticos a Leonis obedientia, imperioque abduxit.* Quod vero, inde a Leone Iſaurico, Imperatores Orientis inimicitias Pontificibus denunciarint, apertoque odio in eos ſævierint, iis litteris, quas ad Baſilium Macedonem dedit Ludovicus Auguſtus ſignificat, ejuſque rei teſtimoniis plenas eſſe Græcorum hiſtorias affirmat. Leo Iſauricus illas jactare minas ſolebat: Ἀποστελῶ ἐν ῥώμῃ, καὶ τοῦ ἁγίου Πέτρου τὴν εἰκόνα καταλύσω, ἀλλὰ καὶ Γρηγόριον τὸν ἐκεῖσε ἀρχιερέα δεδεμένον ἀνακομίσω. *Romam mittam, & imaginem ſancti Petri confringam; ſed & Gregorium illic Pontificem in vinculis adduci curabo* (2). Curavit quidem, ut Theophanes innuit (3), & Anaſtaſius pluribus expoſuit (4); ſed cum res illi haud e ſententia ſucceſſiſſet, in Pontificem armatam claſſem inſtruxit, quam Gregorius Catholicorum Italiæ populorum armis fretus plane contempſit. *Scis*, inquit (5), *Romam, imperium tuum ulciſci non poſſe, niſi forte ſolam urbem propter adjacens illi mare, & navigia; ſed ſi ad quatuor, & viginti ſtadia Roma fuerit egreſſus Papa, nihil tuas minas extimeſcit.* Quod non de cœmeteriorum latebris (ut docti viri opinantur) Gregorius dixit, ſed de Beneventani Ducis præſidio,

II. cauſa transferendi Imperium.

O 2

(1) In Chron.
(2) In epiſt. Greg. II.
(3) In Chron.
(4) In vit. Greg. II.
(5) Greg. II. ad Leon. Imp.

ſidio, de quo in epiſtola meminit, quam ad Carolum Martellum dedit; & in hac ipſa ad Leonem declarat; *Ad quatuor*, inquit, *& viginti ſtadia ſecedet in regionem campaniæ Romanus Pontifex; tum tu vade, ventos perſequere*. Sed quid de aliis Pontificibus dico? Cum Leone III. non ne Nicephorus Imperator Patriarchæ Conſtantinopolitano amicitiam interdixit, ne ve ad eundem, ut Theophanes ait (1), Συνοδικὰς de *ſua fide*, ac religione daret epiſtolas? Quid Auguſtos religionis deſertores commemoro? Nonne Leo III. contra ſceleratorum conjurationem Irenæ pientiſſimæ alioqui Imperatricis opem imploravit, nec obtinuit? quod niſi Græci ipſi narrarent, vix de tam pia femina crederemus (2):

Ὁ δὲ σημάνας ἐν γραφῇ ταῦτα τῇ βασιλίδι,
Ἐπικουρίας τῆς τυχεῖν ἐκ ταύτης ἱκετεύσας,
Ὡς ἔγνω πάντα μάταια τεχνώμενος, καὶ πράττων.
Καὶ γράφειν, τὸ λεγόμενον, ἐπιχειρῶν εἰς ὕδωρ,
Καὶ πανταχόθεν ἀπογνούς, προσφεύγει τῷ Καρούλῳ.

Tum ille re tota mox Conſtantinopoli nunciata, opem ſibi ferri poſtulat. Ubi fruſtra ſe omnia moliri, & agere animadvertit, & in aqua (ceu proverbio dicitur) litteras exarare; ab omni parte re deſperata, ad Carolum confugit. Nec quicquam profuit quod paulo ante Irenæ, ac Conſtantino filio, Caroli erga Romanam eccleſiam munificentiæ, atque pietatis exemplum Hadrianus Pontifex propoſuerat. *Filius*, inquit (3), *& ſpiritualis compater noſter Dominus Carolus Rex Francorum, & Longobardorum, ac Patricius Romanorum noſtris obtemperans monitis, atque adimplens in omnibus voluntates, omnis Heſperiæ, occiduæque partis barbaras nationes ſub ſuis proſternens conculcavit pedibus, omnipotentatum illarum domans, & ſuo ſubjiciens regno adunavit. Unde per ſua laborioſa certamina eidem Dei Apoſtoli eccleſiæ ob nimium amorem plura dona perpetuo obtulit poſſidenda, tam provincias, quam civitates, ſeu caſtra, & cetera territoria, immo*

(1) In Chron.
(2) Conſt. Manaſſ. in Chron.
(3) In epiſt. ad eoſd.

mo & patrimonia, quæ a perfida Longobardorum gente detinebantur, brachio forti eidem Dei Apoſtolo reſtituit, cujus & jure eſſe dignoſcebantur. Sed & aurum, atque argentum quotidie pro luminariorum concinnatione, ſeu alimoniis pauperum non deſinit offerendo; quatenus ejus regalis memoria non derelinquatur in ſeculum ſeculi. Hæc adeo nihil Irenem permoverunt, ut paulo poſt Theodotum Longobardorum Regem, qui, auctore Theophane (1), catholica pietate deſerta, ad Leonem Iſauricum Byzantium confugerat, in Italiam remiſerit contra Carolum eccleſiæ Romanæ defenſorem.

Jura denique eccleſiæ Romanæ cum ſacra, tum civilia, quæ Imperatores occupaſſent, a Conſtantino, & Irene Hadrianus I. repetiit. *Sicut antiquitus*, inquit (2), *ab orthodoxis Imperatoribus, ſeu a ceteris Chriſtianis fidelibus oblata, atque conceſſa ſunt patrimonia beati Petri Apoſtolorum Principis fautoris veſtri, in integrum nobis reſtituere dignemini pro luminariorum concinnationibus eidem Dei eccleſiæ, atque alimoniis pauperum. Immo & conſecrationes archiepiſcoporum, ſeu epiſcoporum, ſicut olitana conſtat traditio, noſtræ diœceſis exiſtentes penitus canonice ſanctæ Romanæ noſtræ reſtituantur eccleſiæ.* Nam cum omnia Patriarchæ Conſtantinopolitani cauſa vellent Orientis Cæſares, nihil prætermittebant, quod ad ejus amplificandam dignitatem facere videretur; utque eidem, cui nulla pridem, vel exigua provincia fuerat, diœceſis eſſet quam ampliſſima, ditioni ejus adjungendum curarunt quid quid ex finitimis Romanorum Pontificum provinciis detraxiſſent. Principio quidem vicinas ademerunt Thraciæ urbes olim in albo diœceſis Romanæ deſcriptas, deinde Theſſaliæ, tum Peloponneſi, poſtea Illyrici, demum Siciliæ, & Calabriæ; de quibus alibi diſputamus. Cenſum autem, qui in annos ſingulos eccleſiæ Romanæ ab Imperatoribus antiquitus pendebatur, in Cæſarianum ærarium inferre Leo Iſauricus Iconomachorum anteſignanus, ut Theophanes ait, nefas non habuit (3):

III. cauſa transferendi Imperii.

cui

(1) In Chron.
(2) In epiſt. ad eoſd.
(3) In Chron.

τὰ λεγόμενα πατριμόνια τῶν ἁγίων, καὶ Κορυφαίων ἀποςόλων τῶν ἐν τῇ πρεσβυτέρᾳ ῥώμῃ τιμωμένων ταῖς ἐκκλησίαις ἔκπαλαι ἐκτελέμενα χρυσίου τάλαντα γʹ, τῷ δημοσίῳ λόγῳ τελεῖσθαι προσέταξεν. *Appellata patrimonia ſanctorum Principum Apoſtolorum, qui apud veterem Romam in veneratione ſunt, illorum eccleſiis jam olim perſolvi ſolita auri talenta tria, & ſemis ærario publico ſolvi juſſit.* Quod ſcelus tale fuit, ut non liberalitate majorum ſuorum, & beneficentia Romanam eccleſiam privarit, ſed nominibus fraudarit, debitaque pecunia. Neque enim munificentiæ, vel ſtipis nomine, quam *eleemoſynam* dicunt, ea pecuniæ ſumma Pontificibus ex ærario publico erogabatur. Etenim Hadrianus patrimonii nomine illam repetit, Theophanes vero, ut a largitione eo magis diſtinguat, Romano vocabulo notat, quo in rationibus ærarii, ac tabulis Imperatorum cenſebatur, & omnium uſu, atque conſenſu vocabatur τὰ λεγόμενα PATRIMONIA. Quis deinde benignæ, & ultroneæ largitatis ſummam decernat, vel qualitatem imperet, vel tempus conſtituat? At Imperatores Orientis ſingulis annis, talenta tria & ſemis, auri, non argenti, non æris numerare Pontificibus tenebantur. Tenebantur inquam; quis enim pro ſtipe, quam beneficii loco accipit, ſi arbitrio quo datur, eodem negetur, largitori minas intentet? Hadrianus vero Pontifex Conſtantinum Imperatorem repetundarum lege teneri affirmat, eidemque non reddenti *patrimonia*; proſcriptionem interminat. *De patrimoniis*, inquit (1), *iterum increpantes Conſtantinum Auguſtum commonemus, ut ſi noluerit ea ſanctæ noſtræ Romanæ eccleſiæ reſtituere, hæreticum eum pro hujuſmodi erroris perſeverantia eſſe decernemus*. Sed cujuſmodi hæc fuerint patrimonia, nemo ſane dubitabit, qui hodieque *patrimonium beati Petri in Thuſcia* veteri more appellari noverit, ut & alia complura in Pontificum Romanorum cenſu numerata Ludovicus Pius, Otto Magnus Imperatores ex uſu antiquiſſimo nuncupaverunt *patrimonium Beneventanum, patrimonium*

(1) In epiſt. ad Car. M.

patrimonium Salernitanum, patrimonium Neapolitanum, patrimonium Calabriæ ſuperioris, & inferioris, patrimonium Siciliæ. Et Paulus Diaconus (1) *patrimonium* eccleſiæ Romanæ *in Cocciis Alpibus* memorat ab Ariperto Pontificibus reſtitutum, a Luitprando confirmatum. Quæ cum ἔκπαλαι *ab antiquo* ſolvi conſueviſſe dicat Theophanes, antiquitatem longiſſimam, & pene ultimam Chriſtianorum Cæſarum indigitare videtur. Quis enim in aliquo antiquitatis gradu reponat eam ætatem, quæ tempus non ſuperet, vel ſaltem exæquet quadringentorum annorum? Totidem porro ſunt anni, ex quo Chriſtum Auguſti colere cæperunt ad Leonis Iſaurici ſacrilegum peculatum. Patrimonia porro ab illo extorta, non Ravennæ Exarchatus, non Ciſpadanæque civitates ſunt, quæ ad Ravennatem præfecturam pertinebant, tum quod Cæſarianis inde ejectis prætoribus, præfectiſque (ut Gregorius II. eundem Leonem certiorem fecit (2) Longobardorum Reges cenſum ærariumque ſibi auxerant earum urbium acceſſione; tum etiam quod poſt recuperata a Carolo, reſtitutaque Pontificibus ea oppida; *patrimonia* nihilominus a Conſtantino, & Irene Auguſtis exegit Hadrianus. Hæc igitur nec Hadriano tum, nec poſtea ſucceſſoribus repoſita Nicolaus I. ſeptuageſimo poſt anno a Michaele Imperatore repetens ſingillatim nominat. *Præterea Calabritanum*, inquit (3), *patrimonium, & Siculum, quæque noſtræ eccleſiæ conceſſa fuerunt, & ea poſſidendo obtinuit, & diſponendo per familiares ſuos regere ſtuduit, conceſſionibus reddantur.* Quæ quidem eſt cauſa quamobrem Leo Iſauricus, cum in Gregorium II. Pontificem exarſit, non alios Imperii Romani populos, niſi Siculos, Calabroſque capite cenſuit: φόρους κεφαλικοὺς τῷ τρίτῳ μέρει Σικελίας, καὶ Καλαβρείας τοῦ λαοῦ ἐπέθηκε. *Tributum*, inquit Theophanes (4), *impoſuit capita tertiæ partis populorum Siciliæ, atque Calabriæ.* Ita enim eccleſiæ Romanæ patrimonia, quæ nondum in Longobardorum poteſtatem veniſſent, ſed ipſe

(1) Libr. 6. cap. 10.
(2) In epiſt. ad eund.
(3) In epiſt. ad eund.
(4) In Chron.

ipſe in ſua teneret, vexare libuit, ubi ipſum non licuit ulciſci Pontificem pro ſui animi ſententia. Tria namque Theophanes enumerat, quæ impius religionis perduellis in Gregorium molitus eſt, armatam claſſem, capitationem hanc, & detractionem tributorum, quæ olim Cæſares Romanis Pontificibus pendebant pro patrimoniis in utraque Calabria, atque Sicilia; *Talenta* nimirum *tria, & ſemis*, hoc eſt (ut Talentorum calculum ſubducit Theophanes (1) *libras auri tercentum quinquaginta*, quæ, ad noſtram rationem, conficiunt ſummam triginta quinque millium aureorum in annos ſingulos. Hæc quidem pro illis; pro aliis autem patrimoniis diverſos numeravere cenſus Imperatores Orientis. Numeravere autem per præſides provinciarum, ut ex Magni Gregorii epiſtolis intelligitur. Ludovicus vero Pius inter cetera, quæ Pontificibus reſtituit: *Necnon*, inquit (2), *& cenſum, & penſiones quæ annuatim in palatium Regis Longobardorum inferri* ſolebant; quas nimirum Exarchi, Præfectique provinciarum Imperatoris nomine Romanæ ſolvebant eccleſiæ. His ampliſſimis tributis, ac cenſibus ad eam ſtatim opulentiam venerant Romanæ diœceſis eccleſiæ, quam Liberius Pontifex coram Conſtantio Conſtantini Magni filio contra Epitectum Centumcellenſem epiſcopum magnificentiſſime profeſſus eſt. Nam ille, ut a concilio, quod Liberius Alexandriæ pro Athanaſii cauſa cogendum affirmabat, eundem deterreret, invito Conſtantio Imperatore, ajebat (quem locum Chriſtophorſonus parum aſſecutus videtur) ex publico haud conceſſum iri copiam commeatus. Negavit Liberius Imperatoris ope, atque divitiis indigere ſe, ut eccleſiarum ſuæ diœceſis epiſcopos terra, marique ſuſtentaret, & Alexandriæ ſoſpites exponeret. Οὐ χρείαν ἔχει τὰ ἐκκλησιαστικὰ δημοσίου δρόμου. αἱ γὰρ ἐκκλησίαι ἱκαναί εἰσι, καὶ πέραν τῆς θαλάσσης διαπέμψασθαι τοὺς ἑαυτῶν ἐπισκόπους (3). *Ad eccleſiaſticas*, inquit, *res perficiendas nulla publicorum Veredariorum neceſſitas eſt; nam ſatis*

(1) Ibid. in Nicephoro.

(2) Decr. diſt. 63.

(3) Theodoret. libr. 2. cap. 16.

ſatis facultatum habent eccleſiæ, ut vel ad transſmarinas oras ſuos epiſcopos prætervehant. Sed alius erit de his diſputandi locus; id enim tantum hic dicere volui, patrimonia Eccleſiæ Romanæ, quæ, teſte Theophane, in ſuam rem converterat Leo Iſauricus, a Pontificibus ſuo, bonoque jure olim exacta, illaque occupantes ſacris interdictos, Imperioque ab iiſdem ſpoliatos fuiſſe. Contra vero, ad ſupremam Chriſtianæ reipublicæ dignitatem Carolum Magnum evectum, quod alias provincias ſuis armis vindicatas, & eas, quæ patrimoniorum nomine cenſebantur, exceptis, quæ in Siciliæ, atque Calabriæ provinciis eſſent, Pontificibus reddiderit. Ad quæ recuperanda licet ipſe jam pene caſtra moveret, ſuaderetque id Leo III. tamen vir ſanctiſſimus jurium eccleſiæ ſuæ jacturam pati potius habuit; quam ullam Imperii in Oriente bene conſtituendi operam prætermittere; tantum abeſt, ut odio, aut favore Carolum Auguſtum conſultandum curaverit. Nam Carolus, ut Theophanes eſt auctor (1), βουληθεὶς κατὰ Σικελίας στόλῳ παρατάξασθαι μετεβλήθη, ζευχθῆναι μᾶλλον Εἰρήνῃ βουληθεὶς πρέσβεις εἰς τοῦτο πέμψας τῷ ἐπιόντι χρόνῳ. *Claſſem contra Siciliam ducere cogitans, tamen ab eo conſilio diſceſſit, nuptiaſque Irenæ petiit per Legatos, quos eam ob rem ſequenti anno ad illam deſtinavit*. Et paulo poſt: Ἔφθασαν οἱ ἀποσταλέντες παρὰ Καρούλου, καὶ τοῦ πάπα Λέοντος ἀποκρισιάριοι πρὸς τὴν Εἰρήνην αἰτούμενοι ζευχθῆναι αὐτὴν τῷ Καρούλῳ πρὸς γάμον, καὶ ἑνῶσαι τὰ ἑῷα, καὶ ἑσπέρια. *Advenerunt*, inquit, *miſſi a Carolo, & Leone Pontifice Legati ad Irenem, qui eam cum Carolo jungi matrimonio petebant, ut Orientis, & Occidentis reſpublicæ unirentur*. Sed Leonis, & Caroli conſilium impeditum, ait, penituſque abjectum artibus Aetii eunuchi, qui Leoni fratri ambiebat Imperium. Quamobrem de Siculo patrimonio, quod neque tum a Carolo, neque poſtea a ſucceſſoribus recuperatum eſt, illud Ottonis Magni bene convenit, ubi deſtinat

(1) In Chron.

nat Eccleſiæ Romanæ patrimonium Siciliæ: *ſi Deus*, inquit, *noſtris illud tradiderit manibus*. Ob hæc igitur adempta patrimonia, hoſtilemque animum, & hæreſis notam, quos Hadrianus I. ab Eccleſiæ communione ſubmovere conſtituerat Imperatores Orientis, hos Leo ſucceſſor jure, ac merito ſpoliavit Imperio.

F I N I S

Diſſertationis Alemanni.

DE TRICLINIO

QUÆ APPELLABATUR BASILICA MAJOR

AUCTORE CAESARE RASPONIO

Ex libro IV. de Baſilica & Patriarchio Lateranenſi.

DE TRICLINIO

QUÆ APPELLABATUR BASILICA MAJOR

AUCTORE CAESARE RASPONIO

Ex Libro IV. de Baſilica & Patriarchio Lateranenſi

C A P. X I.

BASILICA major, ſeu Triclinium Leonianum, cujus hodie primaria apſis tantummodo ſuperſtes eſt, conſtructum a divo Leone III. creditur prope cubicula Pontificia, uti colligi poteſt ex antiquo rituum Cencii Camerarii codice, ubi ait: *Tranſiens Pontifex per ipſam Baſilicam Leonianam intrat cameram ſuam*.

Leo deinde IV. poſt annos ſexaginta hoc ipſum Triclinium inſtauravit, & diverſa fuerunt ejus nomina, quum videlicet appellaretur Baſilica, aula, domus major, regia, accubitus, quodque apud Anaſtaſium frequentiore in uſu eſt, Triclinium majus, quod ab eo ſatis accurate his verbis deſcribitur: *Fecit Leo in Patriarchio Lateranenſi Triclinium majus ſuper omnia Triclinia nominis ſui magnitudine decoratum, ponens in eo fundamenta fortiſſima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis ſtravit, & diverſis columnis tam porphyreticis, quam albis, & ſculptis cum vaſis, & aliis ſimul poſitis decoravit. Cameram cum apſida de muſivo, & alias duas apſidas diverſas hiſtorias pingens marmorum incruſtatione pariter in circuitu decoravit*.

Aula, & baſilica, & regia vocabatur, quia ibi ſummi Pontifices ſacras functiones præcipuas obire ſolebant primariis totius anni celebritatibus; accubitus vero, & Triclinium appellabatur, quia locus erat ad cœnas publicas comparatus; dicebatur etiam Triclinium majus ad diſcrimen minoris, & aliorum, quæ in eodem palatio conſtructa erant, & quæ vulgo panecteriæ vocabantur, erantque uſui peregrinorum attributa, ex quo genere fuerunt Triclinia Theodori, Zachariæ, & aliorum. Quia autem hoc

hoc potiſſimum pro Imperatoribus, ceteriſque ſupremæ inter homines dignitatis viris Romanam Urbem adeuntibus peculiari deſtinatione paratum fuerat, divus Leo ampliore, atque elegantiore forma decoratum, firmis, ac validis fundamentis ſubſtruxit, quorum nunc veſtigia nonnulla in hortis Pœnitentiariorum viſuntur; ornavitque columnis partim e pario, partim e porphyretico marmore, lapidibuſque exemplatis, variaſque imagines referentibus inſignivit; in apice apſidem, binaſque alias ab utroque ejus latere ex opere muſivo, variiſque picturis illuſtratas extrui curavit. Quid picturæ hujuſmodi referrent, operoſiſſimæ omnino conjecturæ eſt propter collapſam, ac deletam ante aliquot ſecula univerſam Triclinii molem; in una tamen harum apſidum ad lævam proxima avorum noſtrorum ætate ſuperfuit convivium quodpiam, multique in eo diſcumbentes expreſſi viſebantur, ſed apſidis majoris picturæ adhuc extant, eaſque a Franciſco Cardinali Barberino Urbani VIII. fratris filio, Principe non tam ſua dignitate, atque amplitudine, quam doctrina, & eruditione excellente illuſtratas habemus. Ejus mandato Nicolaus Alemannus, Vaticanæ bibliothecæ Cuſtos, elegantem tractatum conſcripſit cum erudita myſteriorum ejuſdem picturæ explicatione, qua memoriæ pulcherrimi eccleſiaſticæ dignitatis monumenti egregie conſultum eſt. Etenim Leo Pontifex in iis tum ſuæ redintegrationis, tum translationis utriuſque Imperii ab Occidente ad Orientem, rurſuſque ab Oriente ad Occidentem picturæ beneficio ſeriem univerſam amplexus eſt. Quo ex tractatu, item ex Baronio, Bellarmino, & aliis ejuſmodi notæ Scriptoribus expromere nonnulla ad illuſtrandam hujus picturæ notitiam idonea, atque hic attexere conſtitui.

Memorabilis imprimis eſt Paſchalis, & Campuli adverſus hunc Pontificem, alias a nobis notata, crudelitas; non enim ſatis habuere nepharii homines adverſus auctoritatem ſummi religionis antiſtitis conjurationem impuriſſimæ multitudinis conflare, niſi in caput etiam viri innocentiſſimi conjurarent, exemploque immani, & barbaris ipſis abominando fœdiſſimum facinus auſpicarentur,

tur, oculos Pontifici, & linguam eruendo, qua quidem a clade admirabili divinæ erga ſe indulgentiæ munere immunis eſt præſtitus, recuperata brevi perfecta eorum membrorum integritate, ita ut valens, & expeditus in Galliam ſe conferre; & Caroli Magni opes (quem ille deceſſorum ſuorum exemplo Patritium appellaverat, Eccleſiæque vindicem conſtituerat) implorare potuerit, earumque beneficio animos populi Romani ſibi reconciliare, & commiſſi ſibi gregis curam, & regimen capeſſere. Redeunti ad Urbem Leoni conſuetos ſummo Pontifici honores, & cultus minime defuiſſe conſtat. Ne quid tamen de moribus ejus incommode in animis hominum ſuſpicionis reſideret, anno proxime conſequenti coram ipſo Carolo Magno, quum adeſſent archiepiſcopi plurimi, epiſcopi, abbates, clerus, & populus Romanus univerſus, ambonem baſilicæ s. Petri conſcendens, atque inter manus ſacrorum evangeliorum codicem habens, jurejurando, ſe a criminibus, quorum fuerat inſimulatus purgavit. Quibus peractis publica omnium admurmuratione, & ſecundiſſimo plauſu legitimus Pontifex, & verus Chriſti Vicarius eſt acclamatus, recitatæque ſunt litaniæ in Romanorum Pontificum tum electione, tum reſtitutione recitari conſuetæ; in quibus ad ſingulas ſanctorum nominum invocationem loco verborum *ora pro nobis* verſiculum *tu illum adjuva*, identidem repetere mos eſt. Hujus autem rei præcipua mentio eſt his verbis apud Bibliothecarium in vita ejuſdem Leonis: *Fecit in eadem eccleſia* (ſcilicet divi Petri) *congregari archiepiſcopos, & epiſcopos, abbates, omnem nobilitatem Francorum, atque Romanorum; & ſedentes pariter tam magnus Rex, quam beatiſſimus Pontifex, fecerunt reſidere ſanctiſſimos archiepiſcopos, epiſcopos, & abbates, ſtantibus reliquis ſacerdotibus, & optimatibus Francorum, & Romanorum, ut crimina, quæ adverſus almum Pontificem dicta fuerant, examinarent. Qui univerſi, & ceteri unanimiter audientes dixerunt: Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus; nam ab ipſa nos omnes, & Vicario ſuo judicamur, ipſe autem a nemine judicatur, quemadmodum antiquitus mos fuit; ſed ſicut ipſe ſummus Pontifex cenſuerit, canonice*

nice obediemus: Venerabilis vero Praſul inquit: Pradeceſſorum meorum Pontificum veſtigia ſequar, & de talibus falſis criminibus, qua ſuper me nequiter exarſerunt, me purificare paratus ſum. Alia vero die in eadem eccleſia divi Petri Apoſtoli, quum omnes adeſſent &c. in eorum praſentia amplectens venerabilis Pontifex ſancta Chriſti quatuor evangelia coram omnibus aſcendit ambonem, & ſub jurejurando alta voce dixit, quia de iſtis falſis criminibus, qua ſuper me impoſuere Romani, qui inique me perſequuti ſunt, ſcientiam non habeo, nec talia egiſſe me cognoſco, & hoc peracto omnes archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, & cuncti clerici litania facta, laudes dedere Deo.

Verba quidem s. Leonis, quibus ſe in baſilica divi Petri purgavit, Anaſtaſius non refert: habentur tamen in libro vetuſto ſacrorum rituum, quem Ordinem Romanum appellamus, & ſunt hujuſmodi:


Nota res eſt, fratres cariſſimi, malos adverſus me homines inſurrexiſſe, meque, ac vitam meam graviſſimis criminibus infamaſſe. Cujus rei cognoſcenda gratia clementiſſimus, & sereniſſimus Carolus, una cum ſacerdotibus, & principibus ſuis in hanc urbem ſe contulit. Quamobrem ego Leo Pontifex S. R. E. a nemine judicatus, neque coactus, ſed mea voluntate impulſus, purgo me praſentibus vobis coram Deo, & Angelis ejus, qui conſcientiam novit, & divo Petro principe Apoſtolorum, in cujus conſpectu conſiſtimus, neque ſceleratas res, quas mihi obiiciunt, perpetraſſe, neque perpetrari juſſiſſe, Deum teſtans in cujus judicium venturi ſumus, & in cujus conſpectu conſiſtimus. Et hoc facio non legibus ullis obſtrictus, neque hanc conſuetudinem, aut decretum in ſancta Eccleſia ſucceſſoribus meis, & fratribus coepiſcopis imponere cupiens, ſed ut certius iniquis vos ſuſpicionibus liberem &c.

Hoc eodem tempore idem s. Leo Carolum Magnum Imperii diademate inſignivit, eumque utpote clariſſimum omnis memoriæ Principem, ac de Italia, de populo Romano, deque Sede Apoſtolica optime meritum, Imperatorem Occidentalem conſtituit. Cum vero tantæ rei monumentum in omnes conſequentes ætates extare cuperet, perfecit hujus majoris Triclinii ornatum, & ejus laxiorem apſidem picturis, quas hic ſubiicimus illuſtravit. Vide Tab. I. & II.

In

ICHNOGRAPHIA TRICLINII LEONIANI


Tab.I. *pag. 120.*




A. Tribunal, ſive Apſis Triclinij primaria, quæ una integra ſupereſt, ut in ſequenti tab: proponitur.
B. Apſis dextera ſolo æquata.
C. Apſis ſiniſtra cuius parietinas exhibet ſecunda tabula.
D. Cubitorium, ubi Pontifici conviuanti ſternebatur.
E. Ianua Triclinij, qua patebat aditus in ſacellum Sancti Laurentii, hodie Sancta Sanctorum.

ORTHOGRAPHIA APSIDIS PRIMARIAE ET SINISTRAE


Tab. II. *pag.* 120





A. Vestigia antiqui tecti displuviati.
B. Musivum Cameræ tactum olim flammis incendiorum Lateranensium.
C. Imaginum vultus varie temporum iniuria deformati.
D. Hiatus emblematis ante annos septuaginta omnino collapsi.
E. Hiatus tabellæ inscripta.
F. Apsidis sinistræ loculamentum semirutum.

In apſide media, ſpecie redeuntis a mortuis Chriſtus adſpicitur, converſuſque ad diſcipulos, & pacem eis impertiens; quod quidem codice ſacro, quem manu geſtat, inſcripto hac epigraphe, ſignificatur: *Pax vobis*. Eo autem emblemate divum Leonem innuere voluiſſe, credibile eſt, ſalſis quidem ſe criminibus petitum, eorum tamen atrocitate nequaquam adeo commotum, quin ſedatum adverſus eos, qui ſe violaverant, & placidum animum gereret; exemploque Chriſti Domini pacem eis nihilominus imprecaretur. Colligere hoc licet ex ipſa inſcriptione, quæ arcum ambit in hæc verba: *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*. Non enim ſolum indicat divi Leonis conſilium fuiſſe id agere, ut pro conſuetudine aliorum Romanorum Pontificum eligeret ſibi ſymbolum, quo in principatu Eccleſiæ uteretur; ſed præterea pacem Caroli Magni ope, poſt quam ipſe in Gallias ad eum commeaverat, conciliatam, ſigillatim exprimere voluiſſe. Inſcriptio alia, quæ ad pedes ejuſdem s. Leonis prælegitur in hæc verba: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, quamvis miſſionem Apoſtolorum contineat, videri tamen etiam poſſet ad ejuſdem pacis enunciationem pertinere, propter celebre illud Chriſti Domini ad Apoſtolos evangelium in omnes gentes prædicaturos præceptum: *In quamcumque domum intraveritis dicite: pax huic domui*. In arcu medio divi Leonis nomen nomini Chriſti eleganti inſertum nodo legitur, characteribuſque invicem in hanc formam implicatis



Eo autem ſymbolo quid aliud vir ſanctiſſimus innuere voluiſſe cenſendus eſt, quam operis illius a ſe perfecti præcipuum auctorem Chriſtum Dominum, cujus auxilio, & in cujus unam gloriam extructum eſt, agnoſci debere? Ad dextram vero arcus idem Chriſtus in throno ſedens adſpicitur, Silveſtro quidem Pontifici claves, Conſtantino vero Imperatori vexillum porrigens, utrique curvatis ante ſe genibus provoluto. Ex parte Conſtantini, qui ad ſiniſtrum porrigentis latus eſt, legitur e us nomen characteribus in tres deinceps ordines diſtributis adſcriptum, ut eos effigies hic expreſſa repræſentat.

Tab. III.

R.

CONSTA


NTI

NVS

Sancti vero Silveſtri ſpatium a characteribus nudum eſt; verum dubitari non debet, temporis injuria non ita pridem deletos, quandoquidem plerique ſuperioris ævi non vulgares auctores antiquitatis ſtudioſi mentionem s. Silveſtri nominis haud obſcuram fecerunt, & inter ceteros Angelus Maſſarellus a Septempeda Teleſinus epiſcopus, Patrum Concilii Tridentini a ſecretis, qui ſeptuaginta ab hinc annis has imagines cum ſuis inſcriptionibus exaravit, quarum ductu, atque exemplo refectæ deinde ſunt in Barberiniana reſtauratione, ante quam multis annis collapſæ penitus erant. Notabilis eſt coronarum, ſeu luminum ad has effigies adpoſitorum diverſitas: pontificium ſiquidem caput rotunda, Imperatoris vero quatuor æqualibus angulis terminata tabella circumdat, quaſi illum haud dubium cæleſtis patriæ civem, & ſanctorum albo jam illatum ſignificet. hunc vero adhuc in terris pro æternis præmiis, laudabili quidem agone, ſed nondum abſoluto certantem; quamquam ratio temporis, quo uterque horum s. Leonis ætatem aliquot ſeculis præceſſerat, huic explicationi non nihil adverſari videtur, niſi forte mentionis fidem, de qua proxi-

TRICLINII LEONIANI APSIS PRIMARIA RESTITVTA

Tab. III. *pag. 122.*



A. *Vultus imaginum suppleti ex aliis eorundem temporum.*

B. *Historia renovata ad exemplum ab Antiquariis olim exceptum cum deflueret.*

C. *Tabula nullis notata litteris exceptorum incuria.*

D. *Nomen Pontificis desideratur.*

E. *Inscriptas tabellæ acclamationes servavit Angelus Massarellus.*

F. *Ædificii descriptio verbis Anastatii Bibliothecarij*

G. *Instaurati operis monumentum.*

proxime diximus, in dubium revocare velimus, imaginemque, una cum Conſtantino hic poſitam, Petri potius quam Silveſtri putare, id quod etiam ſimilitudo vultus ejus cum vultu imaginis ex altera arcus parte poſitæ, quæ ſine controverſia ejus Apoſtoli eſt, magnopere ſuadet; ita enim fiet, ut quo cultu Petrus Chriſtum Dominum, eodem in ſpeciem ceteri mortales ipſum, quamlibet ſublimi poteſtate in terris præditi, venerentur. Dixi autem in ſpeciem; nam re vera inter adorationem latriæ, quæ debetur Dei filio, ac duliæ, quam Sanctis exhibemus, immane quantum diſcrepat, id quod celebris theologorum omnium diſtinctio docet. Ceterum exploratum eſt, quadratam hujuſmodi formam viris adhuc viventibus haud vulgari pietate præditis convenire, qui, ut vulgo dicimus, quadrati, quaſi ad agitationes tentationum diabolicarum inconcuſſi ſunt, ac ne affectuum quidem humanorum ictibus magnopere commoti, ſed animum in ſuo ſemper habitu immobiliter manentem gerentes; id quod admodum eleganter quadratæ figuræ ratio repræſentat; corpora ſiquidem ea prædita, quantumvis jactata, verſataque, ad eamdem collocationis formam uſquequaque revertuntur, quemadmodum apposite ad hunc propoſitum obſervavit divus Gregorius in ea Ezechielis prophetæ verba: *Menſæ de lapidibus quadris*, ait enim, *quos hoc loco lapides quadratos accipimus, niſi quoslibet Sanctos, quorum vita in proſperitate, & adverſitate novit fortiter ſtare? lapis enim quadrus æque ſtat in quocumque latere fuerit verſus.*

Ad lævam ejuſdem arcus extant adhuc imagines, atque inſcriptiones illæ ipſæ, quas ibi D. Leo adpoſuit, incendiis, ac ruinis, quæ toties Lateranum afflixere, ſuperſtites. His imaginibus exprimitur divus Petrus habitu pontificali ſolemniore una cum pallio amictus, divum Leonem ex uno latere in genua ante ſe prævolutum excipiens, eique ſuper propria pontificia inſignia aliud inſuper pallium porrigens, ex altero vero Carolum Magnum Imperatorem pariter in genua procumbentem, chlamyde Imperiali, atque corona (ad regalis coronæ diſtinctionem ſuperne clauſa) ornatum, eique vexillum tradens: ſingulis autem ſua nomina ac ſerie characterum adpoſita ſunt:

Divo Petro	Divo Leoni	Carolo
S̄CS	SCIS̄SIMVS	D. N. CRVLO. RA
PE	D … N	E
TR	L … E	G
VS	O	I
	P … P	

Infra icones ipſas, ſeu ad pedes earum hæc item ſubſcripta leguntur:

B. PETRE. DONA.
VITAM. LEONI. PP. ET. BICTORIAM.
CARVLO. REGI. DONA.

Quæ quidem icones, & elogia, ut diximus, redintegrationem ſeu translationem Imperii ſignificant. Jam ut a divi Petri imagine ſumatur exordium, ejus pontificale indumentum indicat poteſtatem, qua in eccleſiam univerſam, ejus caput viſibile præditum eſt; nec ea ſolum ligandi, atque ſolvendi jus erga privatas Fidelium animas continet, verum etiam auferendi, ac transferendi terrena Imperia, ubi ita ad generis humani bonum, & eccleſiæ ſalutem, ac tranquillitatem expedire conſtiterit; id quod Hadrianum, Leonemque, & nonnullos alios Romanos Pontifices feciſſe traditur.

Pallium, quod ſanctus Petrus tradit divo Leoni, pontificali habitu jam ornato, & pallio jam induto, ejuſdem divi Leonis redintegrationem indicat, in qua nequaquam denuo electus eſt; & ſi enim decedere ex Urbe fuerat coactus, non ideo pontificia poteſtate dici potuit exutus, nam tamquam verus Pontifex habitus ſemper, & veneratione præcipua cultus eſt.

Carolus in genua procumbens, eoque corporis habitu vexillum accipiens, documento eſt, Imperatores, & Reges in Eccleſia Romana & divi Petri ſucceſſoribus fundamentum ſuæ poteſtatis agnoſcere debere, & quia vexillum

haud

haud quidem Imperatoris inſigne, ſed Patricii, & Eccleſiæ aſſertoris eſt, hoc eum honore tunc fuiſſe præditum indicatur; neque ex imperatorio cultu quicquam præter paludamentum, & coronam a Pontifice ſibi tunc impoſitam gerit, ſed in ſuo ſpectatur uſitato, & vulgari habitu, in quo eccleſiam ingrediens deprahenſus eſt, & quem in ejus vita his verbis Aeginhardus deſcribit: *Induebatur tunica, quæ limbo ſerico ambiebatur, & tibiaria cum faſciolis, crura, & pedes calceamentis conſtringebat.* Nec aliter imago ejus ibi ſpectatur, quippe habet tunicam, ſeu togam prætextam, quam appellant, uſque ad genua cum faſciis circa crura more antiquo uſque ad pedes, quæ faſciæ crurales vocabantur; vexillum autem, quamvis, ut ſupra dixi, ad Imperatorem non pertineat, nec eo ſignificetur proprie Imperii translatio; a Carolo tamen poſt adeptum Imperium retentum conſtat, tametſi Patritii nomen depoſuerit, propterea quod defenſoris Eccleſiæ titulum, & munus, quæ ſymbolo vexilli demonſtrantur, retinuerat; id quod in cauſa eſt, ut neque cum Patricii indumento exprimatur; illud namque eſt talare, & ad inſtar ejus, quo moderni Romani Senatores utuntur, ſed habet paludamentum, & diadema Imperii uſitatum. Formula autem, qua ſe Carolus defenſorem Eccleſiæ pronunciavit, hujuſmodi eſt: *In nomine Chriſti ſpondeo, atque polliceor ego Carolus Imperator coram Deo, & ſancto Petro Apoſtolo me protectorem, ac defenſorem fore hujus S. R. E. in omnibus utilitatibus, quatenus divino fultus fuero auxilio, prout ſciero, poteroque &c.* Quæ quidem formula, & jurisjurandi religio in ſequentium quoque deinceps Cæſarum inaugurationibus, ſeu coronationibus obſervari perſeveravit.

Ceterum eo ſacramento, paludamento, & corona translatio Imperii facta in eumdem Carolum haud obſcure ſignificatur. Id vero adhuc apertius conjici poteſt ex ipſis inſcriptionibus ſub iis imaginibus exaratis; non ſolum enim ibi notantur acclamationes populi Romani coronationis ejus tempore uſurpatæ, ſpectantes videlicet tum ad Leonem Pontificem, tum ad Carolum in hæc verba: *Beate Petre, dona vitam Leoni, & bictoriam Carulo Regi.* Verum etiam in hujus inſcriptio-

ſcriptione adjunguntur hæc duo verba : *Domino noſtro* , quæ populus Romanus utique non admiſiſſet, niſi Carolum tamquam legitimum Imperatorem jam agnoviſſet ; hac enim forma Leonem tamquam legitimum Pontificem ibi veneratur his verbis inſcriptioni ejus appoſitis : *Dominus noſter Leo Papa* . Nec aliquid facit, quod ibi Carolus non Imperator, ſed Rex nominatur , nam in acclamationibus aliis vere appellatus eſt Imperator , cujuſmodi ſunt illæ : *Carolo Magno Imperatori* , *Cæſari Auguſto piiſſimo* , *& pacifico a Deo coronato* , *vita* , *& victoria* . *Carolo Auguſto a Deo coronato magno* , *& pacifico Imperatori vita* , *& victoria* . Quæ ſecunda acclamatio refertur ab Aeginhardo, qui hiſce omnibus interfuit . Fortaſſe etiam Pontifex hoc modeſtiæ Caroli Magni dandum cenſuit , quippe quem ægre nomen Imperatoris admiſiſſe ſciebat , ut ipſe Aeginhardus teſtatur in ejus vita his verbis : *Romam veniens ibi totum hyemis tempus tranſegit* , *quo tempore Imperatoris* , *& Auguſti nomen accepit* , *quod primo tantum averſatus eſt* , *ut affirmaret* , *ſe* , *eo die* , *quamvis præcipua ſolemnitas eſſet* (*erat autem dies natalium*) *eccleſiam non intraturum fuiſſe* , *ſi Pontificis conſilium præſcire potuiſſet*. Quod cauſæ fuit cur poſt ſuſceptum etiam Imperium aliquandiu Rex appellari maluerit ; quamquam advertere oportet etiam nomen Regis commune Imperatoribus fuiſſe , qui propterea in hiſtoriis Reges frequenter appellantur .

Tandem ad uberiorem notitiam utriuſque Imperii translationis , quam in iis emblematibus , & imaginibus divus Leo expreſſit , ſciendum eſt Imperium Romanum , etiam ſuperiore memoria a pluribus adminiſtratum Principibus , primum omnium inter Diocletianum , Maximianumque Auguſtos , nulla invicem cognationis neceſſitudine copulatos , diviſum , diſtinctumque fuiſſe , idque maximum prudentiſſimi cujuſque judicio momentum ſequuti brevi incly ti illius in orientales , atque occidentales provincias diſſidii fuit ; nam priores , & ſi numero plures , conjunctis tamen naturæ vinculo animis , manentis nihilominus unius Imperii ſpeciem egregie referebant . Excepere Diocletianum , Maximianumque Conſtantinus , & Galerius , & quamvis deinde

inde ad Conſtantinum res omnis Romana redierit, ſteteritque diutius; translata tamen ab eo Bizantium urbis Romæ dignitate, majorem poſtea diſtracti jam Imperii faciem diviſa inter ejus liberos dominatio effecit, obſervatuſque ſequutis inde a Cæſaribus idem mos eſt, ut alteri Orientis provinciæ, & legiones, alteri Occidentis parerent, donec poſt extinctam Conſtantini liberorum ſtirpem, ac Julianum ultore cælo ſublatum per Jovianum, Valentinianum, Theodoſium, ejuſque filium Honorium, alioſque complures afflictæ a variis barbarorum incurſionibus Occidentis res, ad Auguſtulum pervenere; qui ultimus Cæſarum perpetua ab Imperatore Auguſto ſucceſſione res Romanas in Urbe, atque adeo in Occidente univerſo adminiſtrantium, fuit. Vandalis autem Africa, & Gothis Italia Beliſarii, & Narſetis ductu pulſis, utrumque rurſus Imperium ſub Juſtiniano Principe in unum coaluit circa annum quingenteſimum quinquageſimum ſextum; & quia rerum potiri Græci, ſedemque in Oriente habere perſeverarunt, Italiæ cura Exarchis eſt demandata, qui cum ejus defenſioni adverſus incurſiones Longobardorum brevi conſequutas impares eſſent, nunquam poſtea ab excidiis urbium, populationibus agrorum, ceteriſque graviſſimis, quas gens humana perpeti poteſt, calamitatibus, nobiliſſima hæc terrarum omnium regio vacavit. Acceſſit ipſorum Imperatorum impietas, & ab unitate Eccleſiæ catholicæ, ac etiam a Fidei veritate defectio, atque in erroribus, peſtiferarumque opinionum, quibus adhæſerant, defenſione contumacia, nec inde abhorrens vita, & mores, & reipublicæ ratio adminiſtrandæ; quæ omnia ſatis juſtam cauſam Italiæ eos, & ceteri Occidentis cura ſubmovendi, locumque melioribus faciendi Romanis Pontificibus præbuere. Et quamvis Conſtantinus Irenes filius, catholicus, & a moribus majorum ſuorum abhorrens admodum eſſet, attamen quia archiepiſcopatus, epiſcopatus, & ampliſſima patrimonia Eccleſiæ Romanæ ab anteceſſoribus adepta reſtituere, quantumvis monitus ab Hadriano Pontifice detrectavit, indignus Imperio habitus eſt; ut probe idem Hadrianus notat in fine epiſtolæ, quam ad Carolum Magnum pro defen-

defenſione ſecundi Niceni Concilii dedit. Quapropter Leoni III. Imperium Occidentis in Carolum Magnum transferre non ſine manifeſto divinæ providentiæ nutu viſum eſt. Neque enim ullo pacto decebat, ut prolapſo in deterius Orientis Imperio, & poſterioribus principibus qua ſchiſmatum, qua hæreſum pravitate ab Eccleſia Romana diviſis, appellarentur Imperatores Occidentis, qui veriore vocabulo everſores appellari deberent: ac populis dominarentur, a quorum religione defecerant. Eamdem ob cauſam multo minus titulos, aut jura Romani Imperii, ne orientalis quidem ad Turcas orientalium provinciarum ſequutos inde uſurpatores cum ipſarum provinciarum poſſeſſione transiiſſe dicendum eſt; utpote hoſtes perpetuos ejus, per quem reges regnant, & legum conditores juſta decernunt; quæ omnia luculenter in ſuo tractatu de tranſlatione Imperii Bellarminus, & in eccleſiaſticis annalibus Baronius perſequuntur.

Quod autem ad rem noſtram pertinet, primam Imperii translationem divus Leo imaginibus a dextra parte arcus ipſius apſidis expreſſis ſignificavit, alteram vero, nempe quam ipſe Carolo Magno ad Imperium vocato peregerat, a ſiniſtra figuravit, ambas mire ſibi invicem congruentes. Nam quemadmodum divus Silveſter, profugus cum fuiſſet, a Conſtantino, ita divus Leo a Carolo Magno in Urbem eſt revocatus; imo ſicut Conſtantinus poſt baptiſmum vindex Eccleſiæ, de qua optime meruerat, audivit; ita Carolus Magnus patrocinatus Chriſti Vicario ab eodem creatus Imperator, & defenſor Eccleſiæ eſt conſtitutus; ut plane divina providentia ſuſpiciendam hoc loco ſe ſe de more, atque admirabilem præbuerit, imagines hujuſmodi hiſtoriæ tanti momenti, ac ponderis integras inter immanes ruinas per tot ſeculorum ſpatia ſervando.

Nec ulla delebit oblivio eximiam Cardinalis Franciſci Barberini magnificentiam, quæ memoriæ tantæ rei conſultum eſſe ſolertiſſime voluit; non ſolum enim conſervavit diligenter imagines, quæ ad ea uſque tempora pervenerant, ſed novis inſuper inſcriptionibus rei propoſito convenientibus rem geſtam illuſtravit in hæc verba:

Ad

Ad dexteram

LEO PAPA TERTIUS.

fecit in Patriarchio Lateranenſi Triclinium majus ſuper omnia Triclinia nominis ſui magnitudine decoratum, ponens in eo fundamenta firmiſſima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, & diverſis columnis tam porphyreticis, quamque albis, & ſculptis cum vaſis, & liliis ſimul poſitis: decoravit cameram cum apſide de muſivo, & alias duas apſidas diverſas hiſtorias pingens: marmorum incruſtatione pariter in circuitu decoravit. Ex Anaſt. Bibliothecario.

Ad ſiniſtram

Franciſcus s. Agathæ Diaconus Cardinalis Barberinus Triclinii a Leone III. Romano Pontifice conſtructi a Leone IV. ſucceſſore ſexageſimo poſt anno reparati, noſtra tandem ætate pene diruti, partem hanc illuſtriorem, in qua utraque Imperii Romani translatio, redditaque Urbi pax publica continetur, parietibus hinc inde ſuffulſit: cameræ muſivum reſtauravit: labanſque olim dexterum apſidis emblema antiquariorum diligentia coloribus exceptum, penitus deinde collapſum, ad priſcum exemplum ſumma fide ex muſivo reſtituit anno jubilei MDCXXV.

Debetur præterea peculiaris huic Triclinio veneratio ob munia complura, & ſacras, ac pias ceremonias, quas in eo ſummi Pontifices obire ſolebant, præcipue ipſo die natalis Domini, quo nempe ritu ſolemni una cum Cardinalibus in eo cœnare conſueverant; ſed quia frigoribus nimis obnoxium hyberno tempore videbatur, propterea quod ad Septentriones verſum erat, Gregorius IV. humiliore loco aliud Triclinium paravit, quo Sergius hujus nominis ſecundus etiam uſus eſt, ſeu ut perhibent alii Triclinium divi Leonis, quod aula Concilii appellabatur, ea occaſione frequentavit; poſtea tamen primum a s. Leone IV. reparatum, Pontifices alii in eos uſus denuo adhiber e perrexerunt. Die Paſchatis eamdem publicam cœnam ibidem celebrare ſummis Pontificibus moris erat, quæ quia inter deſcriptas in antiquis ritualibus functiones,

inſignis eſt, operæ pretium duximus aliquid de ea hoc loco attexere; utar autem verbis memorati ſæpe ritualis a Cencio Camerario conſcripti, quæ ejuſmodi ſunt:

Finita vero miſſa coronatur, reditque cum proceſſione ad palatium, ſicut ſupra dictum eſt, in ſupra dicto feſto s. Stephani, & acceptis laudibus a Cardinali s. Laurentii, ducitur a primicerio, & ſecundicerio judicibus cum mitra in baſilica magna Leonina, quæ dicitur Caſa major, ubi ſunt præparata undecim ſcamna circa menſam Pontificis, pro quinque presbyteris vel totidemque diaconis, & primicerio, & lectus ipſius Pontificis ibidem ſolemniter præparatus in figura undecim Apoſtolorum recumbentium circa menſam Chriſti. Tranſiens Pontifex per ipſam baſilicam intrat cameram, ubi recepto presbyterio a Camerario in ſcipho argenteo, & dato ſicut in nativitate Domini; ſurgit, & ducitur a magiſtrato ſeneſcalco, & pincerna ad locum, qui dicitur cubitorium, ibique a juniore presbytero Cardinali agnus aſſus benedicitur, & exinde redit ad præparatum lectum menſæ, & accipiens idem Pontifex parum de ipſo agno porrigit priori baſilicario ſedenti in ſubſellio ante lectum ipſius, dicens: quod facis, fac citius, ſicut ille accepit ad damnationem tu accipe ad remiſſionem: reliquum vero agni diſtribuit diſcumbentibus, & aliis circumſtantibus. In medio vero convivii ſurgit unus de diaconis Cardinalibus ex mandato archidiaconi, & legit ad menſam. Finito autem convivio, cantores proſam canunt, quæ ſit conveniens paſchæ de mandato Pontificis. Poſtea vero deſcendit in eccleſiam Lateranenſem ad veſperas, & ſicut continetur in antiphonario celebratis tribus veſperis in baſilica Salvatoris, & ad fontes, atque ad s. Crucem revertitur ad porticum s. Venantii, ibiq. ſedet cum epiſcopis Cardinalibus, ceteriſque ordinibus, & aliis tam laicis, quam clericis in terra ſuper tapeta reſidentibus. Deinde propinatur ſibi clarettum, & vinum, & omnibus circumſtantibus ab archidiacono, & aliis pincernis. Interim vero primicerius cum cantoribus ſurgit, & canit proſam Græcam hujuſmodi: Paſcha hieron. himin. ſymeron. anadedictæ &c. Hactenus Camerarius.

Aliis etiam diebus proxime conſequentibus hoc idem convivium ibidem, prætermiſſa tamen agni paſchalis cæremo-

remonia celebrabatur, & ceteris quoque ſolemnioribus diebus Pontifex ibi cum clero cœnabat, quod & innuere videbatur oratio, quæ exarata in zophoro erat majoris apſidis, uti ſuperius retulimus.

Præterea in eodem Triclinio, uti jam dixi, cæremoniæ ſacræ cum plures aliæ peragebantur, tum imprimis diſtributio palmarum, quæ poſt benedictionem in baſilica s. Silveſtri acceptam illuc deferebantur a Pontifice diſtribuendæ. In hoc etiam Triclinio Nicolaus I. coram pluribus epiſcopis, proceribus, & optimatibus ſententiam tulit damnationis contra Joannem archiepiſcopum Ravennatem, ibique idem Joannes oratione, declaratione, & palinodia charactere ſuo deſcripta, depoſitiſque ſandaliis, & codice evangeliorum ſuper reliquias ſanctiſſimæ Crucis Domini noſtri, ea denuo recepit, & alta voce coram ſynodo juramentum conſuetum pronunciavit, ac poſtridie reverſus injunctam ſibi pœnitentiam recepit. Aliam etiam ſynodum idem Pontifex Nicolaus hic habuit pro examinanda cauſa Rotundi epiſcopi Sueſſinenſis; licet aliis probabilius videatur hæc duo concilia in ea aula fuiſſe celebrata, cui ad uſque noſtram ætatem peculiare Aulæ concilii vocabulum manſit. Poſtremo Pontifices dum ipſo coronationis, atque aditæ poſſeſſionis die magnifice cum ſacro purpuratorum Senatu, cum Regibus, & Principibus, ſi quos forte adeſſe contigerit, epulari ſolebant, hoc potiſſimum Triclinium obeundæ ei celebritati deligebant, id quod Scriptor vitæ Innocentii III. confirmat, dum enarrata ejus coronatione, & poſſeſſione ſic adjungit:

Facta laude ante Lateranenſe palatium, poſt quam aſcendit domum majorem, quæ Leoniana vocatur, ſolemne convivium celebravit.

Imo Pius II. quo die coronatus cum inſigni pompa ad Lateranum venit (cum orta forte ſuper equo, cui Pontifex inſederat, contentione, ipſe maximum vitæ periculum adiſſe dicitur) regio convivio ſacris peractis Cardinales, Principum oratores, proceresque, & optimates urbis in hoc Triclinio excepit; quin etiam ad publica alia negotia pertractanda, quaſi eſſet conſiſtorii aula, deſtinatum erat,

R 2 Sixtus

Sixtus autem V. numiſmata quorumdam chriſtianorum Imperatorum in vetuſtis hujus aulæ parietibus dirutis reperta haud vulgaribus indulgentiarum privilegiis inſignivit, eademque liberalitate Urbanus VIII. eſt uſus erga Fideles, partem, quæ nunc extat Triclinii, religioſe viſentes, ut innuit inſcriptio, quæ ſequitur:

Indulgenza quotidiana di cento anni e cento quarantene Urbano VIII. Pont. Max.

JOSEPHI SIMONII
ASSEMANI
DE SACRIS IMAGINIBUS

JOSEPHI SIMONII
ASSEMANI

Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum de urbe Canonici

EXCERPTA
Ex Tomo Primo
DE SACRIS IMAGINIBUS

IDEM qui Vaticanam, Lateranenſemque Baſilicam Conſtantinus Auguſtus & condidit, & ornavit. In Concilio (1) Nicæno II. Petrus, & Petrus Presbyteri, & Vicarij Hadriani PP. ſenioris Romæ (Act. 4. pag. 878. edit Venet. an. 1727. tom. 8.) dixerunt: *Tale quid & divæ memoriæ Conſtantinus magnus Imperator olim fecit; ædificato enim templo Salvatoris Romæ, in duobus parietibus templi hiſtorias veteres, & novas deſignavit, hinc Adam de Paradiſo exeuntem, & inde Latronem in Paradiſum intrantem figurans & reliqua*. Anaſtaſius in S. Silveſtro n. 36. pag. 38. *Hujus* (Silveſtri Papæ) *temporibus fecit Conſtantinus Auguſtus Baſilicas iſtas, quas & ornavit. Baſilicam Conſtantinianam*

(1) Sub S. Silveſtro Papa, & Conſtantino Magno Imperatore.

tinianam ubi poſuit iſta dona: Faſtigium argenteum battutilæ (tribunæ ſcilicet ſummitatem laminis argenteis malleo percuſſis coopertam, ex Vignolio pag. 84.) *quod habet in fronte Salvatorem ſedentem in ſella in pedibus quinis penſantem libras* 120. *Duodecim Apoſtolos in quinis pedibus, qui penſaverunt ſinguli libras* 90. *cum coronis argenti puriſſimi. Item a tergo reſpiciens in abſida Salvatorem ſedentem in throno in pedibus quinis ex argento puriſſimo, qui pens. libr.* 140. *Angelos quatuor ex argento, qui ſunt in pedibus quinis, coſtas cum crucibus tenentes, qui penſ. ſinguli libras* 105. *cum gemmis alabandinis in oculos. Faſtigium ipſum, ubi ſtant Angeli ſeu Apoſtoli, penſat libras* 2025. *ex argento dolatico* (hoc eſt cælato) *Pharum, quod pendet ſub faſtigio, cum delphinis L. quæ penſ. cum catena ſua libras* 25. *Coronas quatuor cum delphinis XX. ex auro puriſſimo penſ. ſinguli libras* 15. & poſt pauca: *Candelabra aurichalca ſeptem ante altaria, quæ ſunt in pedibusi decem cum ornatu ſuo ex argento, interclusa ſigillis* (ideſt imagunculis) *prophetarum, penſantia ſingula libras CCC.* Nimirum præter argenteas Salvatoris, & Apoſtolorum ſtatuas muſivo opere in tribunæ ſummitate imaginem Salvatoris ſtatuit eo modo depicti, quo is Populo Romano in dedicatione eccleſiæ apparere dignatus eſt, quam eamdem imaginem hodieqne videmus in Tribuna collocatam, additis nonnullis aliis Sanctorum imaginibus a Nicolao IV. Pontifice, quemadmodum in eadem Tribuna literis muſivis adornatur, in hæc verba apud Panvin. De VII. eccl. pag. 3. Raſponum De Baſilica, & Patriarch. Lateranen. Severan. De VII. eccl. p. 516. & ſeqq. *Partem poſteriorem, & anteriorem ruinoſas hujus Sancti templi a fundamentis reædificari fecit, & ornari opere muſaico Nicolaus PP. IV. S. Franciſci filius, & ſacrum vultum Salvatoris integrum reponi fecit in loco, ubi primum miraculoſe Populo Romano apparuit, quando fuit iſta eccleſia conſecrata, anno Domini* 1291. Ibidem hæc carmina inſcripta ſunt muſivis literis;

Tertius

Tertius Eccleſiæ Pater Innocentius hora,
In qua ſe dederat ſomno, nutare ruina
Hanc videt eccleſiam; mox vir pannoſus, & aſper,
Deſpectuſque humerum ſupponens ſuſtinet illam.
At Pater evigilans Franciſcum proſpicit, atque,
Vere eſt, inquit, quem vidimus, iſte ruentem
Eccleſiamque Fidemque feret. Sic ille petitis
Cunctis conceſſis liber, lætuſque receſſit.
Franciſci proles primus de ſorte Minorum
Hieronymus Quarti Nicolai nomine ſurgens
Romanus Præſul partes circumſpicit hujus
Eccleſiæ certa jam dependere ruina,
Ante retroque levat, deſtructa reformat, & ornat,
Et fundamentis partem componit ab imis.
Poſtremo quæ prima Dei veneranda refulſit
Viſibus humanis facies, hæc integra ſiſtens
Quo fuerat ſteteratque ſitu, relocatur eodem:
Præſidis ecce tui, Deus, hæc complectere vota.

Ita Panvin At Raſponus p. 29.

Præſentique ſtatu Deus.

Severanus pag. 57. perperam

Præſentis ecce tui &c.
Quæ tibi perſolvit domus hujus (vel *domus hic*, vel potius *domui huic*) *ornando decorem*
Serva, mirifica, cœlo terraque beatum
Effice, nec manibus trades hunc hoſtis iniqui,
Ingrediens populus devotus munera ſumat,
Quæ bonus hic Paſtor dedit indulgenda benigne
Et larga pietate Pater peccata remittens.

Anno ab Incarnat. Domini noſtri Jesu Christi 1291. Pontificatus ejuſdem Domini Nicolai Papæ anno III.

Idem Nicolaus IV. in abſide poſuit muſivo opere imagines Deiparæ, Joannis Baptiſtæ, Petri, Pauli, Andreæ, Joannis Evangeliſtæ, Franciſci, Antonii de Padua, & ſui ipſius: nec non Crucem gemmatam inſtar ejus, quæ ibi olim ſteterat, cui Cruci inſidet columba alis extenſis, & ex ore columbæ profluunt aquæ, quibus irrigatur Crucis

truncus: fons, qui inde efficitur, in quatuor flumina diviſus *ſuper eadem Cruce* inquit Raſponus pag. 42. *ante Nicolai IV. reſtaurationem civitas cernebatur, & in ejus medio palma, cui phœnix erat ſuperimpoſitus. In porta civitatis Angelus nudato enſe ſtabat, & ſupra muros ejus Principes Apoſtolorum Petrus, & Paulus. Adiecti ſunt etiam cervi, atque oviculæ nonnullæ, quæ ad flumen properant, ut de aquis ejus hauriant, ac ſitin reſtinguant.* Haſce imagines idem Nicolaus Pontifex in tribuna reſtituit.

In eadem tribuna ante Nicolai IV. tempora extabat hæc inſcriptio, quam vetuſtate obliteratam Ciampinius De ſacris ædificiis p. 16. & Panvinius De VII. eccl. p. 108. ex archivio Baſilicæ deſumtam referunt:

Aula Dei hæc ſimilis Synai ſacra jura ferenti,
Et lex demonſtrat, hic quæ fuit edita quondam,
Lex hinc exivit, mentes quæ ducit ab imis,
Et vulgata dedit lumen per climata ſecli.

Flavius Conſtantius Felix, Victor, Magiſter utriuſque militiæ, Patricius, & Conſul ordinarius, & Paduſia illuſtris femina ejus uxor voti compotes de ſuo fecerunt. Adeoque poſt Conſtantini tempora primus abſidam Lateranenſem reſtituit Flavius Conſtantius cum conjuge Paduſia, deinde iterum collapſam inſtauravit Nicolaus IV. Fuit autem hic Conſtantius temporibus Honorii Imperatoris rei bellicæ peritiſſimus, ut ſcribit Sozom. libr. 9. cap. 16. qui poſtea Paduſia uxore mortua, ſecundam duxit Placidiam ejuſdem Honorii Imperatoris ſororem, ex qua Valentianum I. Imperatorem ſuſcepit. Gruterus inſcription. pag. 1076. n. 2. hanc inſcriptionem paulo aliter refert *Fl. Felix V. C. Magiſter utriuſque militiæ, Patricius, & Conſ. Ord., & Paduſia ejus inl. femina voti compotes de proprio fecerunt.* Hinc Raſponus libr. I. cap. 4. pag. 15. exiſtimat Felicem hunc eſſe, qui in Chronico Tyronis, ſeu Proſperi Aquitanici dicitur Florentio, & Dionyſio Coſſ. ad Patriciam dignitatem promotus, ac Theodoſio XIII. & Valentiniano III. Coſſ. cum uxore ſua Paduſia opera Ætii interemtus. Severanus De VII. eccl. pag. 511. pro Paduſia legit *Placidia*. Verum, uti Ciampinius recte advertit loc. cit. allata

lata a Panvinio inſcriptio pro genuina eſt habenda, *qui tanquam ſcriptor anterior in tempore Grutero* (& Severano) *multa ex archivio Lateranenſi deſumpſit, & præſertim ſupradictam inſcriptionem, ut ipſe teſtatur*. Qui vero infra eamdem tribunam additi ſunt verſus a Ciampino pag. 16. a Panvinio pag. 109. & Raſpono pag. 15. relati:

Agnoſcant cuncti ſacro baptiſmate functi,
Quod domus hæc munda nulli ſit in orbe ſecunda &c.

& alii, qui ſupra marmoream ſedem poſiti ab ijſdem ſubjunguntur:

Hæc eſt Papalis ſedes, & Pontificalis,
Praeſidet & Chriſti de jure Vicarius iſti.
Et quia jure datur, ſedes Romana vocatur,
Nec debet vere niſi ſolus Papa ſedere,
Et quia ſublimis, alii ſubduntur in imis;

hi inquam verſus non a Flavio Conſtantio, uti Ciampinus loco citato exiſtimat, ſed ab aliis ſequioris ævi Pontificibus appoſiti videntur; nam ſeculum nonum vel decimum ſapiunt; quare veroſimilius eſt, eos a Sergio III. fuiſſe poſitos, uti conjecturam noſtram mox confirmabimus; quumque Baſilicæ Lateranenſis pars anterior, & poſterior a Nicolao IV. anno 1291. (ut ſupradictum eſt) à fundamentis reædificata fuiſſet, ijdem verſus ab eodem Pontifice ſunt repoſiti in abſida; ſupra peryſtilium verò exterioris Baſilicæ porticus hi alii verſus:

Dogmate Papali datur ac ſimul Imperiali,
Quod ſim cunctarum mater caput eccleſiarum.
Hinc Salvatoris cœleſtia regna datoris
Nomine ſanxerunt, cum cuncta peracta fuerunt.
Sic vos (1) *ex toto converſi ſupplice voto*
Noſtra (2) *quod hæc ædes tibi, Chriſte, ſit inclyta ſedes.*

Hinc Raſponus pag. 34. hiſce verſibus recitatis: *Quos quidem verſus*, inquit, *ipſo conſtructionis hujus eccleſiæ initio adpoſitos, ſunt qui putent* (*adverſante autem admodum metri*

 ratio-

(1) Raſponus legit pag. 34. *Sic ſumus ex toto*.
(2) Idem Raſponus. *Noſtro*, minus recte.

ratione nondum illis temporibus uſitata) *poſteaque a Nicolao IV. repoſitos, quemadmodum quoque repoſiti fuere ab Eugenio IV., qui porticum eamdem, ejus contignationem, item elogia iterum reparavit*. Noſtris autem temporibus, a CLEMENTE XII. eadem porticu ad auguſtiſſimam formam redacta, ijdem primi duo verſus in epiſtylio exteriorum columnarum inciſi ſunt.

Sed redeo ad picturas ibi poſitas, & in adjunctis oratoriis. Præter Baſilicam Salvatoris, Conſtantinus Magnus *Baptiſterium* fecit, quod etiamnum ſervatur. *Fontem ſanctum* vocat Anaſtaſius num. 36. *pag.* 39. *Ipſum ſanctum fontem ex lapide porphyretico ex omni parte coopertum intrinſecus, & foris, & deſuper*. Et mox: *Ad dexteram agni Salvatorem ex argento puriſſimo in pedibus* 5. *penſ. libras* 170. *In læva agni Beatum Joannem Baptiſtam ex argento in pedibus.* 5. *tenentem titulum ſcriptum, qui hoc habet: ECCE AGNUS DEI, ECCE QUI TOLLIT PECCATA MUNDI, penſantem libras* 100. *Cervos ex argento* VII. *fundentes aquam, qui penſant ſinguli libras* 80. Panvinius pag. 193. *Aliquot deinde miri operis porphyreticas columnas cum elegantiſſimis epiſtyliis Imperator Conſtantinus advexit, ut Fontem ipſum perficeret; verum impeditus ornamenta illa extra opus intacta dimiſit, quæ uſque ad Xyſti III. Pontificatum ita permanſerunt, quarum octo ſuprapoſitis marmoreis epiſtyliis in eam, quam nunc cernimus, octangulam formam ſupra ipſum Fontem idem Pontifex erexit, verſibuſque in zophoro inciſis exornavit*, ut in ejus vita (1) Bibliothecarius auctor eſt; quos jam exoleſcentes, & carie, temporeque fere conſumptos, quanta potui diligentia, admotis ſcalis deſcripſi. Sunt autem hi:

Gens ſacranda polis hic ſemine naſcitur almo,
Quam fœcundatis ſpiritus edit aquis &c.

Eoſdem verſus habet Raſponus pag. 210. utique ex Panvinio

(1) Anaſt. num. 65. pag. 72. *Hic fecit in Baſilica Conſtantiniana ornamentum ſuper Fontem, quod ante ibi non erat, id eſt epiſtylia marmorea, & columnas porphyreticas erexit, quas Conſtantinus Auguſtus congregatas dimiſit, & juſſit, ut erigerentur, quas & verſibus exornavit.*

vinio (1) deſcriptos, & addit pag. 211. *Ante Xyſtum III. Pontificem tamen hoc diſtichum ibi duntaxat legebatur:*

Ad fontem vitæ hoc aditu properate lavandi,
Conſtantis fidei janua Chriſtus erit.

Hos verſus Raſponus deſcripſit ex Grutero pag 1163. n. 11. qui addit hanc inſcriptionem: *Hic* (2) *locus olim ſordentis tumuli ſqualore congeſtus, ſumtu, & ſtudio Chriſti famuli Hilarii epiſcopi, juvante Domino, tanta ruderum mole ſublata, quantum culminis nunc videtur, ad offerendum Chriſto Deo munus, ornatus, atque dedicatus eſt.* Hilarus enim Papa Anaſtaſio teſte pag. 16. 20. 69. *fecit Oratoria tria in Baptiſterio Baſilicæ Conſtantinianæ: S. Joannis Baptiſtæ, & S. Joannis Evangeliſtæ, & S. Crucis, omnia ex argento & lapidibus pretioſis. - - - - In Oratorio S. Crucis, fecit confeſſionem, ubi Lignum Dominicum poſuit cum Cruce aurea cum gemmis - - - - Pharos cum delphinis - - - - in medio cancellis aureis & columnis cum faſtigiis & epiſtyliis undique ornatum ex muſivo: cervos argenteos tres fundentes aquam, - - - - turrem argenteam cum delphinis - - - - - columbam auream penſ. libras* 2. Eoſdem verſus recitant Severanus pag. 496. & Ciampinius pag. 23. qui tamen aliter eos legendos monet p. 24. & primo quidem ponit primum diſtichum. 2. diſtichum quintum. 3. diſtichum ſeptimum. 4. diſtichum ſecundum. 5. diſtichum ſextum. 6. diſtichum quartum. 7. diſtichum tertium. 8. diſtichum octavum, & ultimum. Urbanus VIII. picturis egregiis parietes undequaque exornavit, quæ res geſtas Conſtantini magni ad vivum exprimunt. pictorum inſignium opera, ut ait Raſponus p. 212. nempe Andreæ Sacchi, & Andreæ Camaſſei. Porro Hilari Papæ inſcriptiones, & picturæ in memoratis tribus Oratoriis adhuc extant (2) Ad S Joannis Evangeliſtæ: *Liberatori ſuo B. Joanni Evangeliſtæ Hilarus epiſcopus famulus Chriſti*. Ad S. Joannis Baptiſtæ

(2) Panvin p. 122. ait hanc Inſcriptionem in zophoro epiſtylii extare; ſed mutilam & mandis refertam exhibet.

(1) Apud Panvin p. 160. 163. 164. Rap. p. 225. 230. 232. Saveran p. 498. Ciampin. Veter. monim. *par. I. p.* 238. 241.

tiſtæ: *In honorem B. Joannis Baptiſtæ Hilarus Epiſcopus Dei famulus offert*. Supra Oratorii januam in zophoro inter epiſtylium & coronam ✠ *Hilarus Epiſcopus* ✠ *Sanctæ plebi Dei*. Supra interiorem ejuſdem portæ coronam in porphyretica zona: *Domine, dilexi decorem domus tuæ*. Fornix oratorii S. Joannis Evangeliſtæ vermiculato opere variis ſegmentis interpoſitis conſtat. In meditullio agnus: hinc inde diverſi generis aves, floreſque, uti viſitur in Tabula LXXIV. apud Ciampinium part. I. Veter monim. pag. 240. Idem ſeme muſivum opus, eademque ſegmenta cum agno in medio videre eſt in fornice oratorii S. Joannis Baptiſtæ, additis tamen in quatuor angulis Evangeliſtarum quatuor imaginibus, & ſymbolis cum nominibus, *Matthæus, Marcus, Lucas, Johannes*, ut ibi Tab. LXXV. apud eumdem Ciampinium loc. cit. Severanus pag. 499. de Oratorio S. Crucis: *Fornix*, inquit, *muſivo opere ornatus erat, quatuor angelos habens in angulis Crucem ſuſtinentes. Inter quatuor autem feneſtras viſebantur imagines muſivæ ſanctorum Petri, Pauli, Joannis Baptiſtæ, Joannis Evangeliſtæ, Jacobi, Philippi, Laurentii, Stephani*. Hanc addit inſcriptionem Raſponus pag. 2 2. & Panvinius pag. 164. in zophoro: *Introibo, Domine, in domum tuam, & adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo*. At in valvis oratorii S. Joannis Baptiſtæ pag. 230. apud Raſponum, & pag. 239. apud Ciampinium hæc epigraphe: *Anno V. Pontificatus Cæleſtini PP. III. Cencio Cardinale S. Luciæ ejuſdem D. PP. Camerario* (Ciamp. *Eidem Domini PP. Camerario jubente opus illud factum eſt*. Mendoſe) *jubente opus iſtud factum eſt*. Super portam ibidem apud Raſponum: *Clemens VIII. Pont. Max. Oratorium a S. Hilaro in honorem S. Joannis Baptiſtæ ante annos mille & centum extructa* (lege *exſtructum*) *vetuſtate reformata ad conſervanda religioſæ antiquitatis monumenta reſtituit, atque ornavit anno 1597. Pontificatus V.* Ciampinius pag. 239. in ſiniſtra valvarum parte ait, aeneam imaginem extare, quæ Cæleſtinum III. repræſentat.

Joannes IV. qui v. Idus Octobris anno 642. objit, quum annum unum, menſes IX. dieſque duodeviginti Pontifex

tifex fuiſſet, ædem S. Venantii prope Baptiſterium extruxit. Anaſtaſius num. 124. pag. 124. *Eodem tempore fecit eccleſiam beatis martyribus Venantio, Anaſtaſio, Mauro, & aliis martyribus, quorum reliquias de Dalmatia & Iſtria adduci præceperat, & recondidit eas in eccleſia ſupraſcripta juxta fontem Lateranenſem, juxta oratorium Beati Evangeliſtæ (al. Baptiſtæ) quam ornavit, & diverſa dona obtulit.* In tribuna imagines horum ſanctorum unacum Joannis ipſius Papæ viſuntur muſivo opere elaboratæ cum his verſibus apud Severan. pag. 501. & Raſpon. pag. 238.

Martyribus Chriſti Domini pia vota Joannes
Reddidit antiſtes ſanctificante Deo &c.

Theodorus Papa, Joannis IV. ſucceſſor, opus inceptum perfecit: *Parietes* (ut ſcribit Raſponus) *a tribus lateribus vetuſtiſſimis, & non inelegantibus picturis ornabantur, quarum tantummodo, ſupereſt Deiparæ virginis imago, de qua mox dicam. Parietes abſque ornamento conſpiciuntur, una excepta apſidula ſive chalcidica, quæ antiquitus tabulis marmoreis uſque ad zophorum incruſtabatur: ſupra zophorum vero uſque ad tectum nitet opere muſivo, ſicut etiam chalcidicæ tota concameratio. In curvitate vero hujus apſidulæ imagines Beatiſſimæ Virginis, SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, & Joannis Baptiſtæ viſuntur; adjectis etiam SS. Venantii & Domnionis martyrum iconibus cum pallio, & planetis cæruleis, qui ſine mitra libros tenent, eodemque habitu Joannes IV. capellæ conditor exprimitur, ejuſque item ſucceſſor Theodorus, qui forte inchoatum opus a Joanne perfecit: quippe Joannis imago eccleſiam, Theodori vero librum præ manibus habere fingitur, ſuperne & ab utroque amborum latere Salvatoris effigie imminente; ad murum verò hinc inde e muſivo effigies ſanctorum Martyrum, quorum corpora hic requieſcunt, coronas præ manibus geſtantium. ſuperius verò in intervallis quatuor feneſtrarum, animalia quatuor, totidem Evangeliſtarum ſymbola, item Hieruſalem, & Bethleem civitatum apparent. In apſidis zophoro e muſivo hi verſus leguntur:*

Mar-

Martyribus Chriſti Domini pia vota Joannes &c.
Subjungit de imagine Deiparæ: *Introeuntibus vero per Baptiſterium ad laevam, Deiparæ virginis imago occurrit ex antiquis picturis divina virtute adhuc ſuperſtes, quam tempore Gregorii XIII. anno* 1572. *miraculis illuſtratam, confluentes undique populi voti compotes, pretioſis donis, imaginibus, ac multa ſacra veſte decorarunt, ibique religioſa Fidelium pietas altare elegantiſſimis marmoribus, & columnis pretioſis ornatum erexit; unde capellæ præter antiquum ſancti Venantii, novum quoque ſanctæ Mariæ ad Fontes vocabulum factum eſt, quibus duobus promiſcue nunc a Fidelibus honorari conſuevit*. Demum pag. 239. concludit: *Reperi in eccleſiæ monumentis in ſacello ſancti Joannis Evangeliſtæ ſuperioribus ſæculis extitiſſe altare immaculatæ Conceptioni Beatæ Mariæ Virginis dicatum, quod variis circum ad pietatem compoſitis ſententiis in Deiparæ honorem decorabatur; atque ad ſuperiorem partem altaris ſic erat inſcriptum*: *GYRUM COELI CIRCUIVI SOLA, ET IN PROFUNDUM ABYSSI PENETRAVI, ET IN OMNI POPULO, ET IN OMNI GENTE PRIMATUM TENUI*. *A latere dextro*: *CHRISTUM EJUS FILIUM ADOREMUS DOMINUM*. *Inferius vero*: *HÆC EST VIRGO* (forte *VIRGA*) *IN QUA NEC NODUS NEC CORTEX VENIALIS CULPÆ FUIT*: *quæ omnia antiquis characteribus expreſſa fuiſſe teſtatur manuſcriptus codex, & forſan ab uſque Hilari ſanctiſſimi Pontificis tempore exarata*. Hactenus Raſponus. Videntur potius hæ inſcriptiones appoſitæ imagini Deiparæ, de qua ſupra, idque poſt ſeculum XIII. quum ea imago miraculis clarere cœpit; nam tempore ſancti Hilari papæ maternitas Dei, non Conceptio immaculata, a Neſtorianis impugnata fuit. Porro in porticu ejuſdem oratorii ſancti Venantii, ſive Deiparæ, quæ olim porticus ſancti Venantii dicebatur, Anaſtaſius IV. anno 1154. duas tribunas muſivo otnatas cum duobus altaribus ſecit. Panvinius pag. 157.: *Porticus habet ex utraque latere duas abſidas in hemicycli formam, quarum teſtudines pretioſo muſivo exornata ſunt. In dextera ſunt picti paſtores armenta paſcentes cum avibus, aviariiſque emblematibus ſcite expreſſis. Hæc abſis habet altare marmoreum, Deo & SS. Virginibus Rufinæ,*

& Se-

& Secundæ dicatum, ſub quo earumdem virginum corpora recondita ſunt ab Anaſtaſio PP. IV. anno Domini 1154. *qui quum ante Pontificatum eſſet epiſcopus Cardinalis Sabinus, & Papæ Vicarius, ea invenerat; & Pontifex factus id altare ipſe conſecravit. Altera vero ædicula, cujus abſis floribus varii coloris e muſivo exornata eſt, habet altare muro fixum in SS. Andreæ Apoſtoli Luciæque virginis honorem ab eodem Pontifice dicatum. Utræque abſides cum tota porticu antiquitus e tabulis variis marmoreis & emblematibus diverſis cooperta erant, quibus nunc pro majori parte ſublatis, ineptæ quædam picturæ parietes occupant.*

Ciampinius Veter. monim. par. 2. cap. 15. pag. 106. & 108. duas tabulas exhibet muſivi operis, quod in oratorio S. Venantii ſive Baſilica Theodori viſitur: *Muſivum hoc*, inquit, *a temporis injuriis ſervatum, anno* 1674. *a quodam Narciſſo Spina muſivario in multis, quæ perierant, priſtinæ formæ reſtitutum fuit.* Mox ſubjungit: *In anteriore hujus parietis facie cernitur arcus eleganti opere muſivo efformatus, in quo, ut videre eſt, quinque ſunt expreſſæ cruces. Super arcum duo ſunt quadrata, in quorum uno S. Lucas, & S. Matthæus, in altero S. Marcus, & S. Joannes, omnes Evangeliſtæ, ſub animalium forma expreſſi. In ejuſdem parietis angulis duæ civitates in portis ſuſpenſas lucernas habentes efformatæ ſpectantur - - - - Ad ejuſdem arcus latus dexterum quatuor Sancti muſivo opere expreſſi ſunt cum nominibus ſupra capita, ideſt S. Anaſtaſius, S. Aſterius, S. Telius, S. Paulinianus, totidemque ad ſiniſtram, ideſt S. Marus, S. Septimius, S. Antiochianus, S. Gajanus:* de quibus Baronius in notis ad Martyrologium Rom. XI. Aprilis. In ſummitate tribunæ ſtat Chriſtus Dominus velut inter nubes, dexteram in actu benedicendi attollens, violacei coloris tunica, rubeo pallio coopertus. Ad dexteram unus, ad ſiniſtram alter Angelus adſtant cæruleis indumentis veſtiti, manibus ad Chriſtum extenſis, in quorum fimbriis eſt monogramma H. In inferiori tribunæ parte, in ejuſque medio ſtat beatiſſima Virgo Maria expanſis brachiis, veſte violacea ſubobſcuri coloris induta, cui ad collum appoſita eſt parva crux, ac ſupra interiorem veſtem pendere cernitur ora-

rium, ſeu ſtola cruce inſignita. Ad dexteram Deiparæ ſunt ſenex alba veſte amictus, cujus in fimbria eſt manogramma P., librum dextera tenens, qui Sanctum Paulum abſque dubio indicat: quum ad ſiniſtram ſtet *S. Petrus* claves manu dextera, ſiniſtra baculum tenens, cujus in ſummitate eſt crux. Prope Sanctum Paulum eſt *S. Joannes Evangeliſta*, ut epigraphe ad caput hinc inde appoſita docet, qui librum itidem tenet, veſtibuſque albis eſt indutus, & in exterioris veſtis laciniis monogramma H. apparet. Prope S. Petrum eſt *S. Joannes Baptiſta*, ut appoſitus titulus exprimit, capillis capitis in morem Nazareorum ad humeros demiſſis: interiorem veſtem cærulei, pallium vero glauci coloris habens, in cujus pallii extremitate monogramma H. Poſt S. Joannem Evangeliſtam *S. Venantius* interiorem veſtem albam deferens, ac ſuper hanc aliam veſtem coloris violacei ſubobſcuri, quæ caſula eſt: ac ſuper eamdem orarium, ſeu ſtola cruce ſignata dependet; quo orario epiſcopum fuiſſe *S. Venantium* deſignatur. In oppoſita parte poſt S. Joannem Baptiſtam ſtat S. *Domnio* pari modo veſtitus, qui itidem epiſcopus fuit. In angulo dextro poſt S. Venantium *Joannes IV. Pontifex* indumentis pontificalibus violacei ſubobſcuri coloris veſtitus, orarium cruce ſignatum gerens, manibus eccleſiam ſuſtinens; is enim fuit hujus oratorii conditor. In angulo vero ſiniſtro poſt S. Domnionem *Theodorus Papa*, ejuſdem Joannis ſucceſſor, librum in manibus gerens. Deiparæ, Petro & Paulo, Joanni IV. & Theodoro Papæ nulla ſuperimpoſita eſt epigraphe: ceterorum autem, ideſt Joannis Baptiſtæ, & Evangeliſtæ, Venantii & Domnionis nomina exprimuntur ſic: *S. Joannes* (male apud Ciampin) *S. Joannis Evangeliſta, S. Joannes Baptiſta, S. Venantius, S. Domnio*. Omnes præter Deiparam ſandalia in pedibus gerunt. Joannes IV. & Theodorus Romani Pontifices æque ſunt induti caſula & orario ac Venantius, & Domnio epiſcopi. Diadema rotundum in capite tam Sancti, quam hi duo Pontifices geſtant. Sub eorum pedibus leguntur carmina, quæ tam a Grutero pag. 1164. n. 4. quam a Raſponio libr. 3. cap. 12. & a Ciampinio cap. 15. p. 109. referuntur: nimirum. *Marty-*

Martyribus Chriſti Domini pia vota Joannes
Reddidit antiſtes ſanctificante Deo. &c.

Gregorius II. oratorium in patriarchio (utique Latreanenſi) *in nomine B. Petri Apoſtoli diverſis ornatum metallis a novo fecit, & circumquaque altaris parietes deargentavit, ac dipinxit XII. Apoſtolos, qui penſ. libras* 180. inquit Anaſtaſius pag. 167. n. 182., qui n. 218. pag. 189. hæc addit de S. Zacharia Papa: *Hic in Lateranenſi patriarchio ante Baſilicam beatæ memoriæ Theodori Papæ a novo fecit Triclinium, quod diverſis marmoribus, & vitro, metallis, atque muſivo, & pictura ornavit, ſed & ſacris imaginibus tam oratorium B. Silveſtri, quamque & porticum decoravit, ubi etiam & omnem ſubſtantiam ſuam per manus Ambroſii primicerii notariorum introduci mandavit. Fecit autem a fundamentis ante ſcrinium Lateranenſe porticum atque turrim, ubi & portas aereas atque cancella inſtituit, & pergulam Salvatoris ante fores ornavit, & per aſcendentes ſcalas in ſuperioribus ſuper eamdem turrim Triclinium, & cancellos aereos conſtruxit; ubi & Orbis terrarum deſcriptionem depinxit, atque diverſis coloribus ornavit, & omne patriarchium pene a novo reſtauravit* - - - & poſt pauca n. 224. de eodem patriarchio ſubjungit: *In venerabili itaque patriarchio ſacratiſſimum B. Georgii martyris idem ſanctiſſimus Papa in capſa reconditum reperit caput, in quo & pittacium invenit pariter literis exaratum Græcis ipſum eſſe ſignificantes.*

Leo III. duo alia Triclinia in patriarchio Lateranenſi fecit, quæ & muſivo opere decoravit. Anaſtaſius num. 367. pag. 277. *Fecit autem & in patriarchio Lateranenſi Triclinium majus ſuper omnia Triclinia, nominis ſui magnitudine decoratum, ponens in eo fundamenta firmiſſima, & in circuitu laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis* (diverſarum ſcilicet rerum imaginibus cælato opere diſtinxit, ait Alemannus De Lateranenſibus parietinis pag. 8.) *Stravit & diverſis columnis tam porphyreticis, quamque albis, & ſculptis cum vaſis, & liliis ſimul poſitis decoravit. Cameram cum apſida de muſivo, & alias duas apſidas*

diverſas hiſtorias pingens , marmorum incruſtatione pariter in circuitu decoravit . Et num. 384. pag. 288. *Itemque fecit in patriarchio Lateranenſi Triclinium miræ magnitudinis decoratum cum apſida de muſivo , ſed & apſidas decem dextra lævaque diverſis hiſtoriis depictas , habentes Apoſtolos Gentibus prædicantes* (Deſunt hæc in editione Nicolai Alemanni pag. 21.) *cohærentes Baſilicæ Conſtantinianæ , in quo loco & accubita collocavit , & in medio concham porphyreticam aquam fundentem , necnon & pavimentum ipſius marmoribus diverſis ſtravit* . Alemannus in Diſſertatione hiſtorica de Lateranenſibus parietinis reſtitutis cap. *6*. p. 21. demonſtrat , hoc ſecundum Leonis III. Triclinium ſolo æquale fuiſſe ac humile , illud vero primum ſublime , & cubiculo pontificio, atque oratorio S. Silveſtri , & S. Laurentii æquale ; & de priore quidem Triclinio agens : *Ex tribus* (inquit cap. 3. p. 8.) *illis apſidibus primariam teſſera verſicolore etiamnum nitere videmus ; alterius ad lævam , integrum apparet loculamentum : tertiæ dextrorſum, nonniſi veſtigia . Picturas ex coloribus, qui ultimus ibidem contemplatus fuit, Onofrius eſt Panvinius* . Hic enim De VII. eccl. p. 172. hæc habet : *In eodem patriarchio Leo III. Papa multa ampla ædificia conſtruxit , inter hæc maximam aulam , quæ introeuntibus interiorem patriarchii partem ſtatim ante valvas aereas occurrit , quam tribus chalcidicis , in porticu ſcilicet , & lateribus auxit , cunctaque variis picturis , & muſivo exornavit . Leo porro IV. Papa ſedilia ingreſſu patriarchii marmoribus conſtruxit , quæ nullus unquam Pontificum , ut perficeret , cogitarat : ſolarium quoque, quod Leo III conſtruxerat , quum pro vetuſtate fractis trabibus ruinæ proximum eſſet , novum in meliorem formam reſtauravit* . Quæ ſunt ex Anaſtaſio deſumpta ; ſed , ut advertit Alemannus pag. 19. non eſt confundendum Tricliclinium a Leone III. factum cum *macrona* & *ſolario* ab eodem Pontifice inſtauratis , & a Leone IV. iterum reſtitutis . Anaſtaſius in Leone III. n. 414. p. 307. *Hic vero Sanctiſſimus Præſul fecit in patriarchio Lateranenſi oratorium a fundamentis in honorem B. Archangeli inſigni opere firmiſſime conſtruens , quod etiam ex muſivo, ſeu diverſis picturis , atque pulcherrimis marmorum metallis diverſis coloribus ornavit undique*

dique (1), *macronam vero ipſius Lateranenſis Triclinii, quæ extenditur a campo & ultra imagines Apoſtolorum, quæ præ nimia vetuſtate ruitura erat, a fundamentis ſimul, & ſarta tecta, necnon & ſolarium ab imo uſque ad ſummum noviter reſtauravit, & in melius firmiſſimis marmoribus ſtravit, atque cameram ipſius macronæ noviter fecit, & diverſis hiſtoriis pictura mirifice decoravit*. Vides *macronam* (2) & *ſolarium a Triclinio* Leoniano diverſum; hoc enim Leo III. de novo fecit; macronam vero & ſolarium inſtauravit. De ſolario vero loquitur Bibliothecarius in Leone IV. quum ait n. 499. pag. 350. *Nam & ſolarium* (3) *quod b. memoriæ Leo III. Papa conſtruxerat, quum præ nimia vetuſtate fractis trabibus in ruinis cerneretur everſum, noviter pulchrius in meliorem ſpeciem reſtauravit*. Nihil habet de Triclinio per Leonem IV. reſtituto. Quamobrem Panvinius, tantus cætera vir, humanum quid paſſus, Triclinium Leonianum cum ſolario confudens, erravit ipſe, inque errorem induxit eos, qui poſt ipſum ſcripſere. Triclinium a Leone III. factum poſt aliquot annos fuiſſe a Leone IV. inſtauratum, debemus Cardinali Franciſco Barberino, qui hujus Triclinii Leoniani abſidem dextræ ac levæ partis imagines nobis ſervavit. Nicolaus Alemannus (4) muſivum dextræ partis Tab. IV. ſiniſtræ vero Tab. V. hujus voluminis repræſentat. *Quod parte apſidis dextra* (inquit) *relucet muſivum, recentis quidem manus eſt imitatio, quæ tamen opus exprimit illud antiquum, quod Leo III. in conſpectu olim poſuerat. Id porro ante annos amplius ſeptuaginta decidiſſe ex eo conjicere mihi videor, quod ille caſus non Panvinii modo diligentiam antevertit, ſed etiam Angeli Maſſarelli, curioſi antiquitatis indagatoris, qui ſiniſtræ partis imagine ac inſcriptionibus*

(1) *B. Arcangeli*: extat inſcriptio olim ad hoc oratorium S. Michaelis Archangeli a Leone III. appoſita apud Raſponium libr. 4. pag. 358. & ſeqq. *Hoc oratorium a fundamentis curante N. Levita Petri ad honorem Archangelorum Leo III. Papa fieri juſſit*.

(2) Aula ampla & longa *macrona* Græco priſcoque vocabulo appellata.

(3) Solarium ad meridiem pertinens, Solique apertum, calorem ac lumina ampliſſimis ac frequentiſſimis ad hybernas deambulationes admittens.

(4) Alemannus ſcribebat anno 1625.

tionibus provide conſervatis , dexteræ hujuſmodi ne veſtigia quidem nobis reliquit . Vixit ille Julio III. Pontifice , cui & duobus ejus ſucceſſoribus Marcello II. & Paolo IV. fuit a ſecretis , eandemque operam concilii Tridentini Patribus ſumma cum laude navavit , ac demum Theleſinam rexit Eccleſiam ; ſed qui eum anteceſſerunt eccleſiaſtice antiquitatis curatores , laude illi quidem digniſſimi , hanc hujus muſivi partem de ſuo tempore labantem exceperunt , optimaque fide delineandam curarunt . Hoc ejus imaginis exemplum , quod unicum nobis , ac toti poſteritati relinquebatur, Illuſtriſſimus Cardinalis Barberinus , non ſine divino nutu , poſt diuturnam indagationem nactus eſt ; quod lapis ab illo poſitus ita profitetur ac monet : *Franciſcus S. Agathæ Diac. Cardinalis Barberinus Triclinii a Leone III. Rom. Pont. conſtructi, a Leone IV. ſuccceſſore* (1) *ſexageſimo poſt anno reparati, noſtra tandem ætate pene diruti, p rtem hanc illuſtriorem, in qua utraque Imperii Rom ni translatio , redditaque Urbi pax publica continetur, pa ietibus hinc inde ſuffulſit : cameræ muſivum reſtauravit : labanſque olim dexterum apſidis emblema, antiquariorum diligentia exceptum , penitus deinde colapſum , ſumma fide ex muſivo reſtituit* . Ex Alemanno Ciampinius par. 2. Veterum monimentorum cap. 21. tab. XXXIX., & XL. & Raſponius libr 4. cap. XI. p. 337. totum, quod ſupereſt Triclinium Leonianum delinearunt,, & interpretati ſunt . Emblema vermiculati operis , quod in medio apſidis cernitur , eſt hujuſmodi : „ Apparuit Chriſtus in „ medio XII. Apoſtolorum , ſtans dextera elevata in „ actu benedicendi , & ſiniſtra librum apertum ſuſtinens, „ in quo leguntur : *Pax vobis* expreſſa verba , & capite „ diadema habens cum cruce. Tunicæ color eſt ſubobſcurus „ violaceus , palli rubeus . Sub ejus pedibus quatuor erumpunt flumina. Ad dexteram cernitur S. Petrus, ſiniſtra baculum gerens in ſummitate cruce (2) inſignitum , & claves duas. (3) Apoſtoli omnes ſunt tunicis albis , multiplici

(1) Hoc falſum , ut ſupra diximus, & ex Panvinio errante error deſumtus .

(2) Apud Alemannum tab. III. *duplici cruce* .

(3) Apud Ciampinium p. 39. *clavem unam*

„ plici rubea linea mixtis; & pallis albis veſtiti, & in
„ eorum fimbriis ſinguli ſingula, diverſaque habent mo-
„ nogrammata. Pedes cum ſandaliis. Subtus leguntur hi
„ verſus ex Evangelio deſumti:

Docete (1) *omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi.*

„ In apſidis (2) hemicyclo: *Gloria in excelſis Deo, &*
„ *in terra pax hominibus* (3) *bonæ voluntatis* (4) In faſtigio
„ tribunalis, Chriſti, & Leonis Papæ (5) nomen ſic.

„  In dextera Triclinii, ſive arcus parte, Ciamp.
„ tab. XL. & Alem. tab. IV. Chriſtus ſedet diademate cum cruce, præcinctus, claves duas dextera B. Silveſtro Papæ diadema rotundum geſtanti, genua flectenti, ſiniſtra vexillum cruce in ſummitate ornatum porrigens Conſtantino Magno, diadema quadratum in capite coronato gerenti, gladiumque ad ſiniſtrum latus geſtanti cum inſcriptione ſupra caput *R Conſt.ntinus*, ideſt, ut interpretatur Alemannus, *Rex Conſtantinus*; ut vero Pagius: *Roma, Conſtantinus*. In altera Triclinii parte nempe ſiniſtra (5) Petrus in medio ſedens indutus tunica coloris albi, & ſupra penulam orarium ſeu pallium geſtans cruce ſignatum, claveſque duas in ſinu tenens, dextera pallium Leoni Papæ genuflexo, ſiniſtra vexillum in ſummitate haſtam habens, ſexque roſis ornatum Carolo Regi ſimiliter genuflexo porrigens. Ambo, ideſt Leo Papa, & Carolus Rex, diadema quadratum ferunt; & Carolus coronam Conſtantino ſimilem gerit in capite. Ad latus S. Petri dexterum hæc verba SCS. *Petrus:* ſupra caput, & ad latus dexterum Leonis PP. ✠ *Sanctiſſimus D. N. Leo PP.* ſupra caput, & ad latus ſiniſtrum

(3) Apud Alemann. tab. III. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti* & nihil aliud.

(1) Alam. p. 34. Ciamp. tab. 40.

(2) Ciamp. *omnibus*. Aleman. *hominibus*.

(3) Ciamp. & Raſp. *bonæ voluntatis*.

(4) Alemann. tab. II.

(5) Alemann. tab. VI. Ciampin. tab. 40.

ſiniſtrum Caroli Regis *D. N. Carulo Regi* . Sub pedibus S. Petri : *Beate Petre, dona vitam Leoni PP., & bictoriam* (1) *Carulo Regi dona* .

Severanus in libr. De VII. eccleſiis p. 544. hoc ipſum quidem Leonis III. Triclinium affabre delineatum repræſentat; ſed ſuper caput Conſtantini ait extitiſſe hanc epigraphen : *R. Conſtantinus*, ideſt *Rex* Conſtantinus ; ſub pedibus vero Chriſti Domini inter Apoſtolos ſedentis, hanc : „ Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomi- „ ne Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & ecce ego vobiſ- „ cum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Temporibus Panvinii ita ſe habebat hoc Triclinium, quemadmodum ab ipſo pag. 180. deſcribitur. „ Supereſt „ adhuc vetuſtum e muſivo emblema circum abſidam tri- „ bunæ in poſtico aulæ, in quo S. Petrus ſedens pictus „ eſt, qui Carolo Magno Imperatori læva vexillum, Leoni „ vero Papæ III. dextera pallium ante ſe genuflexis por- „ rigit cum hiſce inſcriptionibus : *Sanctiſſimus D. N. Leo* „ *III. Papa item D. N. Carulo Regi*. Infra vero ſub S. „ Petro: *Beate Petre - - - - Leoni Papæ , & bitoria* „ *Carulo Regi dona*. Danda eſt venia doctiſſimo viro, qui Antiquarios non conſuluerat, unde integram epigraphen deſcribere potuiſſet. Noſtris autem temporibus eſt gratulandum, quod hoc nobiliſſimum eccleſiaſticæ antiquitatis monimentum, quod cum Lateranenſem Baſilicam Clemens XII. nova porticu ornaret, diffractum fuerat, cura, & ſumptibus ſapientiſſimi Pontificis Benedicti XIV. in priſtinam formam reſtitutum eſt; nam erecta ad latus orientale S. Laurentii perampla, & auguſta tribuna, in ea icones, quæ in Leoniano Triclinio extabant, ad normam exempli ſub eodem Clemente XII. coloribus ex prototypo expreſſi, & ſimilis picturæ in Vaticano codice delineatæ aptari fecit cum hac inſcriptione. „ Benedictus XIV. P. „ M. antiquiſſimum ex vermiculato opere monimentum

in occi-

(1) Sic.

„ in occidentali abſide Lateranenſis cœnaculi a Leone III.
„ ſacro cogendo ſenatui, aliiſque ſolemnibus peragendis
„ extructi, quod ad templi aëram laxandam Clemens XII.
„ integrum loco moveri, & ad proximum S. Laurentii
„ oratorium collocari juſſerat, vel artificum imperitia,
„ vel rei difficultate diffractum, ac penitus diſiectum, ne
„ illuſtre adeo pontificiæ majeſtatis, authoritatiſque ar-
„ gumentum literariæ reipublicæ damno interiret, ad fi-
„ dem exempli, ipſius Clementis providentia ſtantibus
„ adhuc parietinis accurate coloribus expreſſis, & ſimil-
„ limæ in Vaticano codice veteris picturæ, nova apſide
„ a fundamentis excitata, eruditorum virorum votis oc-
„ currens, Urbi æternæ reſtituit anno MDCCXLIII.
„ Pontificatus ſui III.

Quod ſpectat ad imagines S. Petri, Leonis III. Papæ, & Caroli Regis, qui in ſiniſtra Triclinii parte ſunt muſivo depictæ, nullus dubito, quin ita ſe habuerint Leonis ejuſdem tempore, ſicuti nunc beneficio ſanctiſſimi Pontificis Benedicti XIV. reſtitutas illas videmus; ſtantibus enim adhuc muſivis, ab antiquariis accurate coloribus fuerunt expreſſæ, quamquam per illas non collatum a Leone Papa Regi Carolo Imperium, uti Alemannus, aliique autumarunt, repræſentari, ſed vexillum patriciatus Romanorum miſſum, uti Pagius ad ann. Chr. 796. demonſtrat, mihi certum eſt; qua de re infra, ſermo redibit, ubi de Baſilicæ Aquiſgranenſis muſivis. At vero quod ad imagines Chriſti Domini, Silveſtri Papæ, & Conſtantini Imperatoris in dextera Triclinii parte depictas attinet, valde dubito, quin Franciſco Cardinali Barberino antiquarii impoſuerint, & ipſe nobis unam pro alia figuram in ea Triclinii Leoniani apſide reſtituerit. Alemannus de Lateranenſibus parietinis reſtitutis cap. 9. pag. 36. ingenue fatetur: „ Ante annos amplius
„ ſeptuaginta [ideſt circa annum Chriſti 1550.] partem
„ apſidis dexteram jam totam corruiſſe, itaut ille caſus non
„ Panvinii modo dilgentiam anteverterit, ſed etiam An-
„ geli Maſſarelli, curioſi antiqutatis indagatoris, qui ſi-
„ niſtræ partis imagine ac inſcriptionibus provide con-
„ ſervatis, dexteræ hujuſce ne veſtigia quidem nobis reli-

„ quit. Undenam igitur illam Cardinalis Barberinus acceptam reſtituit? Audiamus ipſum Alemannum, qui loc. cit. ſic pergit. „ Sed qui eum (Angelum Maſſarellum) anteceſſe-
„ runt eccleſiaſticæ antiquitatis curatores, laude illi qui-
„ dem digniſſimi, hanc hujus muſivi partem ſuo tempore
„ labantem exceperunt, optimaque fide delineandam cu-
„ rarunt. Nomina horum antiquriariorum non exprimit Alemannus, neque codicem laudat, in quo pars illa muſivi fuerit ante Maſſarelli, & Panvinii tempora delineata. Proſequitur tamen: „ Hoc ejus imaginis exemplum, quo uni-
„ cum nobis, ac toti poſteritati relinquebatur, Illuſtriſ-
„ ſimus Cardinalis Barberinus non ſine divino nutu poſt
„ diuturnam indagationem nactus eſt, quod lapis ab illo
„ poſitus ita profitetur ac monet, iis nempe verbis: Labanſ-
„ que olim dexterum apſidis emblema, antiquariorum
„ diligentia coloribus exceptum, penitus deinde collapſum,
„ ad priſcum exemplum ſumma fide ex muſivo reſtituit,
Itaque ut idem Alemannus ſubjungit: „ Publici operis me-
„ moriam incredibili ſtudio perquiſitam, ſumma felicitate
„ inventam, in Vaticanam Bibliothecam inferri juſſit,
„ ne reſtaurati hujus operis teſtimonium vel fides ab ex-
„ teris, poſteriſque aliquando deſideraretur. Equidem ſummis laudibus effero hanc operam, quam antiquarii contuliſſe dicuntur in eam apſidis partem, quæ omnino defluxerat, reſtituendam. Sua etiam laude digniſſimus eſt Cardinalis Franciſcus Barberinus, qui niſi ad exemplum antiquariorum collapſum id muſivum reſtituiſſet, de ſingulari vetuſtatis monumento actum jam fuiſſet. Nihil demum fidei detractum velim ipſis muſivi imaginibus, quas exemplo ab antiquariis excepto ſimillimas eſſe permitto, imo & affirmo. Verum Silveſtrum ibi Papam, & Conſtantinum Imperatorem depictos eſſe, nulla ratione ſuaderi poſſum, etiamſi ad caput genuflexi, uti ajunt, Imperatoris hæc appoſita ſit inſcriptio *R. Conſtantinus*. Dico itaque, non Silveſtrum Papam hic repræſentari, ſed *Hadrianum*; non Conſtantinum Imperatorem, ſed *Carolum Francorum Regem*, ac proinde, ut mutatis mutandis, ipſius Alemanni verbis p. 38. utar geminæ in Triclinio Leoniano tabulæ
„ ſunt

„ ſunt, altera dextrorſum, ſiniſtrorſum altera collocata.
„ Tres in utraque tabula perſonæ, aliæ nituntur genibus,
„ duæ pro tribunali ſedent. Chriſtus videlicet parte dex-
„ tera, ſiniſtra Petrus Apoſtolorum princeps: ſuus utri-
„ que Pontifex hinc, inde [Rex] ſubmittit genua, Chriſto
„ Hadrianus, & Carolus: Petro Leo & idem Caolus. Horum
„ pro ſua quiſque conditione a Chriſto Domino, & a S.
Petro ſumit inſignia. Rex Carolus utrobique vexillum: Pontificum alter ſinu claves, alter pallium accipit. Scilicet imaginum illam auctor ſic intelligi voluit a Chriſto, & a Petro Pontifices Hadrianum, & Leonem in pontificia auctoritate eſſe confirmatos: Carolum vero Regem per eoſdem Pontifices patriciatum Romanorum obtinuiſſe. Hiſtoria eſt notiſſima, ex Anaſtaſio tamen Bibliothecario hic deſcribenda, quomodo ſcilicet Carolus Magnus anno 774. Romam venit, ab Hadriano Papa honorifice exceptus, & quo pacto idem Hadrianus poſtquam in ſede S. Petri collocatus eſt, anno videlicet 772. eidem Carolo patriciatum confirmavit, claveſque confeſſionis s. Petri, ac vexillum miſit. Verba Anaſtaſii Bibliothecarii in vita Hadriani I. Papæ hæc ſunt: „ Dum (*anno Chriſti* 774.) per ſex men-
„ ſium ſpatium Carolus Magnus apud Papiam demorare-
„ tur in obſidione ipſius civitatis, magnum deſiderium
„ habens ad limina Apoſtolorum properandi, conſiderans
„ quod & ſacratiſſimum paſcha appropinquaſſet, tum tol-
„ lens ſecum diverſos epiſcopos, abbates etiam, & ju-
„ dices, duces, & graphiones cum plurimis exercitibus,
„ huc Romam per partes Tuſciæ properavit, ita feſti-
„ nans & adveniens, ut in ipſo ſabbato ſancto ſe liminibus præſentaret apoſtolicis; cujus adventum audiens
„ antedictus beatiſſimus Hadrianus Papa, quod ſic repente
„ ipſe Francorum advenerit Rex, in magnum ſtuporem,
„ & extaſim deductus, direxit in ejus occurſum uni-
„ verſos judices ad fere triginta milliaria ab hac Roma-
„ na urbe in locum, qui vocatur Novas, ubi eum cum
„ bandoris, ſive bandis (*ideſt cum vexillis*) ſucceſſerunt,
„ & dum appropinquaret uno fere milliario a Romana
„ urbe, direxit univerſas ſcholas militiæ unacum patro-

„ nis ſimulque, & pueris, qui ad diſcendas litteras per-
„ gebant, portantes omnes ramos olivarum, laudeſque
„ omnes canentes cum acclamatione earumdem laudum
„ vocibus ipſum Francorum ſuſceperunt regem; obviam illi
„ ejus Sanctitas direxit venerandas Cruces, ideſt ſigna
„ ſicut mos ad Exarchum, aut Patricium ſuſcipiendum:
„ eum cum ingenti honore ſuſcipi fecit. Qua hora eaſdem
„ ſanctiſſimas Cruces, ac ſigna ſibi obviam veniſſe
„ conſpexit, deſcendens de equo, in quo ſedebat, ita cum
„ ſuis judicibus ad beatum Petrum pedeſtris properare
„ ſtuduit. Quum quidem antedictus almificus Pontifex
„ diluculo ſurgens in eodem Sabbato ſancto cum univer-
„ ſo clero, & populo Romano ad beatum Petrum pro-
„ peravit ad ſuſcipiendum eumdem Francorum Regem,
„ & in gradibus ipſius apoſtolicæ aulæ eum, cum clero
„ ſuo præſtolatus eſt. Conjungente vero eodem excellen-
„ tiſſimo ac benigniſſimo Carolo Rege, omnes gradus ſin-
„ gillatim ejuſdem ſanctiſſimæ B. Petri eccleſiæ deoſcu-
„ latus eſt, & ita ad prænominatum pervenit Pontificem,
„ ubi in atrio ſuper gradus juxta fores eccleſiæ adſiſtebat,
„ eoque ſuſcepto, mutuoque ſe amplectentibus, tenuit
„ idem Chriſtianiſſimus Carolus Rex dexteram manum an-
„ tedicti Pontificis, & ita in eamdem venerabilem aulam
„ B Petri principis Apoſtolorum ingreſſi ſunt, laudem
„ Deo, & ejus excellentiæ decantantes univerſus Clerus,
„ & cuncti religioſi Dei famuli extenſa voce acclaman-
„ tes: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Sicque
„ cum eodem Pontifice ipſe Francorum Rex, ſimulque
„ omnes epiſcopi, abbates, & judices, & univerſi Fran-
„ ci, qui cum eo advenerant, ad confeſſionem B. Petri
„ appropinquantes, ſeſeque ibidem proſternentes, Domi-
„ no noſtro omnipotenti, & eidem Apoſtolorum Principi
„ propria reddidere vota, glorificantes divinam poten-
„ tiam in eo, quod talem eis per interventionum ſuffra-
„ gia ejuſdem Principis Apoſtolorum concedere juſſit vi-
„ ctoriam. Expleta vero eadem oratione obnixe depreca-
„ tus eſt idem Francorum Rex antedictum amplificum Pon-
„ tificem, ſibi licentiam tribui Romam ingrediendi ad

„ ſua

„ ſua orationum vota per diverſas Dei eccleſias perſol-
„ venda ; et deſcendentes pariter ad corpus B. Petri tam
„ ipſe ſanctiſſimus Papa, quamque antefatus excellentiſſimus
„ Francorum Rex cum judicibus Romanorum,& Francorum,
„ ſeſeque mutuo per ſacramentum munientibus, ingeſſus
„ eſt Romam continuo cum eodem Pontifice ipſe Fran-
„ corum Rex cum ſuis judicibus & populo. In eodem
„ ſabato ſancto in Baſilicam Salvatoris juxta Lateranos
„ pariter ſunt ingreſſi. Ibidem ipſe excellentiſſimus Rex
„ manſit cum omnibus ſuis, quouſque ſancti baptiſmatis
„ ſacramentum antedictus terbeatiſſimus Pontifex celebra-
„ vit: & ita poſtmodum ad beatum Petrum ipſe excel-
„ lentiſſimus repedavit Rex. Altera vero die illuceſcen-
„ te Dominico ſancto, in ipſa ſanctiſſima paſchali feſti-
„ vitate direxit diluculo ipſe ſanctiſſimus Præſul cun-
„ ctos judices, & univerſa obſequia militiæ ad eumdem
„ Regem, qui cum magno honore eum ſuſcipientes, ad
„ eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis ad Præſepe propera-
„ runt cum omnibus, qui cum eo advenerant Francis;
„ ibique miſſarum ſolemnibus celebratis, perrexit idem
„ Rex cum prænominato Pontifice in Lateranenſe patri-
„ archium, illique ad menſam apoſtolicam pariter epu-
„ lati ſunt. Alia vero die, ſecunda feria ſimili modo in
„ eccleſia beati Petri more ſolito ipſe conſpicuus Pater,
„ & egregius Pontifex miſſarum ſolemnia celebrans, Deo
„ omnipotenti, & præfato Carolo excellentiſſimo Regi
„ Francorum & Patricio Romanorum laudes reddere fecit.
„ Tertia veo die, juxta ut mos eſt, in eccleſia beati Pauli
„ Apoſtoli miſſas eidem Regi fecit. At vero quarta feria
„ prænominatus Pontifex cum ſuis judicibus tam cleri,
„ quam militiæ in eccleſia beati Petri Apoſtoli pariter
„ cum eodem Rege ad colloquendum ſe conjungens, con-
„ ſtanter eum deprecatus eſt, atque admonuit, & pater-
„ no affectu adhortari ſtuduit, ut promiſſionem illam,
„ quam ejus ſanctæ memoriæ genitor Pipinus Rex, &
„ ipſe præcellentiſſimus Carolus cum ſuo germano Caro-
„ lomanno unacum omnibus judicibus Francorum fecerat
„ B. Petro, & ejus Vicario ſanctæ memoriæ Domno Ste-
„ phano

„ phano juniori Papæ, quando in Franciam perrexit pro „ concedendis diverſis civitatibus ac territoriis iſtius Italiæ „ provinciæ, & contradendis B. Petro, ei, & omnibus „ Vicariis in perpetuum poſſidendis, adimpleret in omnibus. „ Quod & Carolus præſtitit veterem donationem confirmans, „ & novam augens propria ſua manu corroboratam, & ab „ univerſis epiſcopis, abbatibus, judicibus etiam & gra- „ phionibus ſubſcriptam; ejuſque donationis duo exem- „ pla exarari juſſit, alterum manu Etherii capellani, & „ notarii ſui, quod ſuper altare B Petri & poſtmodum „ intus in ſancta ejus confeſſione poſitum, tam ipſe Fran- „ corum Rex, quam ejus judices B. Petro, & ejus Vica- „ rio ſanctiſſimo Hadriano Papæ ſub terribili ſacramen- „ to, ſe omnia conſervaturos, quæ in eadem donatione „ continerentur, promittentes, tradidere; alterum ejuſdem „ donationis exemplum per ſcriniarium s. Romanæ Ec- „ cleſiæ deſcriptum idem Carolus Francorum Rex ſecum „ deportavit. Hæc Romæ acta ſunt die 6. Aprilis anno 774. nam paſcha eo anno celebratum die 3. Aprilis; die autem 4. ejuſdem menſis, ideſt feria 2 paſchatis, ut modo vidimus, quum Hadrianus Papa miſſarum ſollemnia in eccleſia B. Petri celebraſſet, Deo omnipotenti, & præfato Carolo excellentiſſimo Regi Francorum, & Patricio Romanorum laudes reddere fecit, ideſt acclamari ipſi juſſit, ſicuti laudes cum magno populorum lætitia acclamabantur, quando Imperatores Romani creabantur, eorumque imagines in provincias deferebantur, quemadmodum multis exemplis oſtendit Pagius ad annum 774. num. 2. & ſeqq. Quod autem eo anno acclamatum ſit *Carolo Regi Francorum, & Patricio Romanorum*; id vero manifeſtum facit jam antea ipſum Carolum fuiſſe ab Hadriano Papa in patriciatu Romanorum confirmatum, ideſt eodem ann 772. quo ipſe Hadrianus Pontificatum iniit. Sicut enim Leo III. ubi Pontificatum ſuſcepit, *mox per Legatos ſuos claves confeſſionis S. Petri, ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus Regi* (ideſt Carolo) *miſit*, ut inquit Eginhardus in annal. ad annum 796. ita & ante Leonem Hadrianus poſtquam in ſede S. Petri collocatus fuit, patriciatum Carolo confirmavit

firmavit , ad eumque claves confeſſionis S Petri , ac vexillum Romanæ urbis cum regiis muneribus miſit ; id quod ex ipſis Caroli Magni litteris ad Leonem III. Papam miſſis perſpicuum fit : nam Carolus ubi anno 796. & Hadriani Papæ mortis , & Leonis III. electionis nuncium accepit , ſcripſit ad Leonem epiſtolam , quæ eſt ordine 84. inter epiſtolas Alcuini , in qua hæc habet : *Sed modo lætiores de veſtræ Sanctitatis ſucceſſione facti , quod deſideravimus in illo pio Patre agere , in vobis perficere ſtudemus . Illique* (Angilberto Caroli nuncio , & epiſtolæ latori) *omnia injunximus , quæ vel vobis voluntaria , vel vobis neceſſaria eſſe videbantur , ut ex conlatione mutua conferatis quidquid ad exaltationem ſanctæ Dei Eccleſiæ , vel ad ſtabilitatem honoris veſtri , vel patriciatus noſtri firmitatem , neceſſarium intelligeritis ; ſicut enim cum beatiſſimo Prædeceſſore veſtræ ſanctæ Paternitatis pactum inii , ſic cum Beatitudine veſtra ejuſdem fidei , & caritatis inviolabile fœdus ſtatuere deſidero .* Hoc ipſum demonſtrat inſignis inſcriptio , quæ extat in appendice antiquarum Lectionum p. 1163. n. 8. & recitatur a Baronio ad annum 774. n. 6. & a Pagio ad eundem annum n. 4.

Cœlorum Dominus , qui cum Patre condidit Orbem,
Diſponit terras virgine natus Homo .
Utque ſacerdotum , regumque eſt ſtirpe creatus ,
Providus huic Mundo curat utrumque geri ,
Tradit oves fidei Petro paſtore regendas,
Quas vice Hadriano crederet ille ſua .
Quin & Romanum largitur in urbe fideli
Vexillum (1) *famulis , qui placuere ſibi .*

Quod

---

(1) Auctor illius appendicis in loco vacuo pro *Vexillum* poſuit *Pontificatum* , ſed contra grammaticæ , & poeſeos leges . Papebrochiu , in Conatu critico hiſtorico ad vitam Hadriani I. repoſuit *Imperium* , quia inquit revera actum ab Hadriano fuit de reſuſcitando occidentali Imperio in perſona Caroli , neque actum tantum , ſed & decretum ac publice notum , licet ex cauſis ſupervenientibus eo vivente peractum nihil ſit. At Hadrianum de Imperio in Carolum conferendo cogitaſſe, a nullo ex tot Scriptoribus, qui de Carolo loquuti ſunt, memoriæ proditum invenitur; quare non dubito , quin legendum ſit *Vexillum* .

Quod Carolus mire præcellentiſſimus hic Rex
Suſcipiet (2) dextera glorificante Petri.
Pro cujus vita ſtabilique (3) hæc munera regno
Obtulit Antiſtes congrua rite ſibi.

Quod in hoc epigrammate de Hadriano Papa vexillum Carolo Regi mittente exprimitur, hoc ipſum Leo III. Papa in ſuo Triclinio muſivis delineatum voluit; *Chriſtum* ſcilicet *cœlorum Dominum, qui cum Patre condidit Orbem, virgine natum hominem*, utpote ſacerdotum, Regumque ſtirpe creatum, *Sacerdotium* quidem *Hadriano P. P.* vice Petri tradidiſſe, ut oves ſuas paſceret; *Romanum* autem *in urbe fideli vexillum famulis, qui placuere ſibi*, nimirum olim equidem Pipino Regi Francorum, poſtea vero *Carolo præcellentiſſimo Regi*, ipſius Pipini filio, qui vexillum ipſum, & patriciatus honorem a Petri Apoſtoli dextra per Hadrianum Papam ſibi miſſum ſuſcepit; pro cujus Caroli proinde vita ac regno hæc dona idem antiſtes Hadrianus obtulit.

Nunc argumenta profero, quibus hanc meam ſententiam eruditis viris minime diſplicituram confido. De Chriſti Domini imagine nihil eſt dubitandum. Ad figuram Hadriani Papæ quod ſpectat, diadema rotundum ſignificat eum jam mortuum fuiſſe, quum Leo III. immediatus ipſius ſucceſſor hoc muſivum poſuit. Facies, barba, habitus, ſicut a Silveſtri Papæ lineamentis quamlongiſſime abſunt; ita Hadriani Papæ imaginem ad vivum repræſentant. Quod vero ad Carolum Regem attinet, quadratum diadema (quod eruditi omnes norunt) viventem ipſum deſignat: & vivebat ſane Carolus, quando a Leone PP. Triclinium eſt muſivis ornatum. Junior tamen eſt in hac abſidis dextra parte, quam in ſiniſtra, quia ab Hadriano

(2) Quid, ſi pro *ſuſcipiet*, legatur *ſuſcepit*? quod vexillum nimirum Carolus de manu Petri Apoſtoli jam ſuſcepit, ſicuti Hadrianus de manu Chriſti *ſummum Pontificatum*.

(3) Apud Baronium: *Triumphique hæc munera regno*. Pagius: *Triumphiſque hæc munera Regia*. Utrumque contra poeſeos leges.

driano Papa vexillum accepit anno Chr. 772., a Leone vero anno 79. ac proinde quatuor ſupra viginti annos inter illud Hadriani Papæ & Leonis factum interceſſiſſe, neceſſe eſt. Corona, quam in capite gerit, omnino Francica eſt, non Imperatoria Conſtantini Magni, uti vulgo exiſtimatur. Habitus denique, tibialia, calcei, gladius e latere pendens, Carolum Magnum indicant, non Conſtantinum Imperatorem. Confer utramque Caroli figuram, tam in hoc dextro abſidis emblemate apud Alemannum pag. 36. quam in ſiniſtro Tab.IV. & videbis eundem Regem utrobique depictum. Certe tam ſimilis utrobique Carolus eſt, quam ovum ovo ſimile. Si vero Conſtantini Magni numiſmata ſpectentur, quæ à Cangio in familiis Auguſtis Tabella I. II. III. & IV. ſunt exhibita, quam ſint ab hac effigie tum habitu, tum facie diſſimilia, unuſquiſque per ſe deprehendit. Præterquamquod à Conſtantini Magni obitu ad Leonis III. Papæ tempora effluxere quadringenti & ſexaginta anni; adeoque, ſi voluiſſet idem Leo Papa Conſtantinum deſignare, non illum quadrato, ſed rotundo diademate ornatum pinxiſſet; rotundum enim diadema, ſive ſphærula, circulus, aut nimbus, ſignum eſt defuncti: quadratum vero indicium eſt viventis, ut patet ex Joannis Diaconi ſententia in vita S. Gregorii Magni libr. 4. cap. 84. Unde Ciampinus par. 2. Vet. moniment. cap. 19. pag. 123. de muſivo S. Marci à Gregorio IV. Papa facto: *Redeundo*, inquit, *ad dexteram, ſecundo loco eſt S. Marcus Evangeliſta: penes hunc ſtat beatiſſimus Gregorius Pontifex, ſcilicet IV. eccleſiæ reſtaurator, ut ipſa imago patefacit, quæ eccleſiam manibus ſuſtentat, ac quadratum poſt caput tenet ut viventis ſignum, de quo diſſeremus infra in eccleſiis ſanctæ Praxedis, necnon s. Mariæ in Domnica, & alibi*. Et cap. 24. de eccleſia s. Mariæ in Domnica pag. 142. *Ad virginis pedes genuflexus ſtat Paſchalis I. Summus Pontifex, ut appoſita epigraphe declarat, qui alba, & dalmatica aurea indutus eſt. Poſt ejus caput quadratum ſe extendit, quod ſignum viventis Alemannus in ſuis Lateranenſibus parietinis cap. 6. (imo 7.) eſſe aſſerit*. Demum cap. 26. de cappella s. Zenonis in eccleſia s. Praxedis

pag. 153. *Notanda eſt illa, quæ poſt caput habet quadratum, quod ſignum viventis eſt, ut nonnulli eruditi Scriptores cenſent, & nos expoſuimus in cap. 24. ubi de muſivo opere in eccleſia s. Mariæ in Domnica egimus*. Miſſos facio alios auctores, qui eadem de diademate quadrato ſcribunt.

Quæ quum clara ſint, ut opinor, & manifeſta, audio tamen Alemannum duo mihi opponentem, ut nimirum ſententiam ſuam de Silveſtro Papa, & Conſtantino Imperatore in eo muſivo depictis, tueatur. Ait igitur primo, diadema quadratum etiam vita defunctis apponi conſuevisse. *Præterea* inquit cap. 7. pag. 28. *Quadratum illud inſigne, quo Leonis, Carolique redimita videmus capita, indicium eſt minime dubium, utrique tum vitam ſuppeditaviſſe, quum Triclinio faſtigium, & picturæ, ornamentiſque ſuprema manus imponebatur*. At ſi quadratum juxta Alemannum indicium eſt minime dubium, Leonem Papam, & Carolum Regem in vivis tunc fuiſſe, quum eſt illud muſivum elaboratum; cur, amabo, in ejuſdem muſivi altera parte illud ipſum quadratum non erit ſignum certum viventis, ſed vita defuncti? Reponit adhuc Alemannus: *Quamquam enim vita etiam perfunctis id genus ornamenti adhibitum nonnumquam fuiſſe paulo poſt demonſtrabo; id tamen contigit, uſurpatumque raro eſt; contra verò iis, qui in vita eſſent, totam ejus ritus rationem accommodatam fuiſſe, Joannis Diaconi, & ſexcentis priſcarum imaginum teſtimoniis confirmari poteſt*. Sexcenta priſcarum imaginum teſtimonia demonſtrant, quadratum eſſe viventium indicium: rarò autem vita functis convenit; hoc Alemanni eſt argumentum, quod infra cap. 9. pag. 41. & ſeqq. repetit. Ego verò vel unum velim exemplum mihi producat quadrati capitibus mortuorum appicti; ſi autem non aliud Alemanno ſuppetit exemplum, quam hoc ipſum, de quo eſt quæſtio, apparet manifeſte, vitioſo, ut ajunt, circulo illum uti, idemque per idem probare velle. Quid? Quod ſi ei concedatur in dextro aſſidis emblemate quadratum etiam mortuo convenire, jam non indubium erit, uti ipſe contendit, ipſum quadratum in ſiniſtro emblemate Leonis, & Caroli viventium eſſe ſignum. Cur enim admiſſo primo illo principio non

non liceat nobis dicere, poſt obitum Leonis & Caroli illud muſivum ab aliis Pontificibus fuiſſe poſitum? Quia, inquit, ex Anaſtaſio habemus: *Leonem PP. III. Triclinium majus ſuper omnia triclinia in Patriarchio Lateranenſi feciſſe, ejuſque cameram cum aſſida de muſivo, & alias duas aſſidas, diverſas hiſtorias pingendo, marmorum incruſtatione pariter in circuitu decoraſſe*. Verum quum Anaſtaſius non ſingillatim referat quænam fuerint hiſtoriæ illæ in muſivo depictæ, ſemper relinquetur dubitationi locus, alias fuiſſe ab iis, quæ in dextro, & ſiniſtro abſidis Triclinii latere ad nos pervenerunt, ſi ſemel admittatur quadratum diadema etiam mortuis convenire; perijſſe nimirum muſiva a Leone III. poſita, eorumque loco ab ejus ſucceſſoribus hiſtoriam illam Leonis, & Caroli ſubrogatam; quod quum veritati hiſtoricæ repugnet, concludendum eſt, falſum & erroneum eſſe illud Alemanni aſſertum de quadrato diademate etiam mortuorum capitibus apponi ſolito. Denique etiamſi demus Alemanno, quadratum aliquando etiam mortuorum ſignum eſſe, negamus tamen id in dextro abſidis Leonianæ emblemate locum habere poſſe, nam facies, totuſque corporis habitus Conſtantini Imperatoris omnino eſſe nequit. Non eſt igitur, cur idem Alemannus pag. 42. rationem quærat, ob quam quadratum Conſtantino appictum fuerit, inquiens: *Quum igitur quadratum illud inſigne non tam ſuperſtitis vitæ, quàm perfectæ atque omnibus numeris abſolutæ argumentum, & indicium eſſet, minime mirum videri debet, ſi id Leo tribuit Conſtantino Imperatori, apte ad dignitatem, apte ad eam, quæ dignitati conveniret, morum, vitæque perfectionem. Quin & caute Leonem id feciſſe, videre mihi videor, quum Eccleſia Romana ac omnes Occidentis populi ab illa de Conſtantini vitæ ſanctitate ſententia ſemper abſtinuerint, quæ Orientalibus olim arriſit. Nec intereſt, quòd apud Siculos Conſtantini templum aliquando fuerit, quum a Græcis poſitum id eſſe conſtet, neque etiam quod una aut altera Conſtantini imago Romæ orbiculari diademate, & ſanctitatis titulo inſignis reperta ſit; nam Imperatorum, Regumque eam fuiſſe conſuetudinem demonſtravimus, ubi ad ἀνέκδοτα Procopii, Juſtiniani ſanctimoniam iis*

confirmari argumentis minime poſſe oſtendimus; nam non modò SANCTUM, SED ET SANCTISSIMUM, ET DIVINISSIMUM, ET NOSTRA DIVINITAS, NOSTRUM NUMEN, *& quid non uſurparunt olim Imperatores? Orbiculari autem figura ornatæ extant etiamanum Romæ Salomonis imagines in ſacello s. Sylveſtri ad Sanctorum quatuor Coronatorum ædem; eum verò in Eccleſia Chriſtiana honore, qui Sanctis debetur, cultum fuiſſe, quis dicat?* Quot & quanta (cum bona venia doctiſſimi viri) aſyſtata! Primum omnium, tota ipſius ratiocinatio falſo, ut ajunt, ſuppoſito nititur. Supponit enim imaginem illam eſſe Conſtantini, quod negamus, quodque evidenter demonſtravimus. Deinde aſſerit, *quadratum non tam ſuperſtitis vitæ, quam perfectæ, atque omnibus numeris abſolutæ argumentum, & indicium eſſe*. Id vero nullis documentis probare poteſt, quum Summi Pontifices ſacrarum ædium fundatores ſe ipſos viventes cum quadrato depingi fecerint, neque tamen de ſe ipſis tam ſuperbe ſenſerint, aut ſentire potuerint. Quod enim in hoc ipſo Leoniano Triclinio ad caput Leonis Papæ ſcriptum eſt: *Sanctiſſimus D. N. Leo Papa*, id non ab ipſo Leone, ſed a muſivariis poſitum exiſtimandum eſt. Tertio quadratum ait a Leone Papa idcirco Conſtantino Imperatori tributum, non ad denotandam ipſius ſanctitatem, quam Eccleſiæ Occidentales una cum Romana omnium matre nunquam admiſerunt, ſed ad ſignificandam ipſius dignitatem, morumque, ac vitæ perfectionem. Hæc autem Alemanni aſſertio per ſequentem deſtruitur, quum mox affirmat Conſtantini imaginem Romæ repertam orbiculari diademate ornatam; orbiculare autem diadema non eſſe ſanctitatis indicium, quum ea fuerit Imperatorum, ac Regum conſuetudo, ut caput diademate orbiculari redimirent, & Salomon ipſe orbiculari figura depictus ſit, quin tamen pro ſancto habeatur; quæro itaque ab Alemanno, ſi Conſtantini caput illud eſt, quod in muſivo Leoniano cernitur, cur illud Leo Pontifex non potius orbiculari diademate cinctum depinxit, quo diademate Reges, & Imperatores, etiamſi ſancti non ſint, eo tamen redimiri ſoleant? Cur appoſuit quadratum, quod,

eodem

eodem Alemanno teſte pag. 43. viventium ſemper indicium eſt, mortuorum raro, & nonniſi in hoc emblemate: *Laicis enim Principibus*, ut ait, *qui ante Leonem III. id attribuerit authorem, quem proferam, habeo neminem*.

At, inquit Alemannus, quamvis author habeatur nemo, qui ante Leonem III. quadratum diadema Principibus laicis tribuerit, Leo tamen id tribuit Carolo in ſiniſtro abſidis latere, & Conſtantino in dextero. Hoc enim ut exiſtimat, perſpiacum fit ex duplici inſcriptione ad caput utriuſque Principis appoſita: hinc ſcilicet: *D. N. Carulo Regi*, inde *R. Conſtantinus*. Verum ſicuti vera eſt prima inſcriptio: *D. N. Carulo Regi*, ita falſa altera: *R. Conſtantinus*. Prima ſic ad noſtram uſque ætatem (ideſt ad tempora Panvinii, Maſſarelli, Alemanni, aliorumque) permanſit, quemadmodum a Leone III. poſita fuerat, eamdemque ſubjecta verba confirmant: *Beate Petre, dona vitam Leoni PP. & victoriam Carulo Regi dona*, ac proinde non licet de illius veritate dubium movere. Altera vero ante annos amplius ſeptuaginta, quàm illam Cardinalis Franciſcus Barberinus, ex quibus neſcio ſchedis, reſtitueret, eodem Alemanno teſte, jam deciderat, adeoque Panvinio, Maſſarello, aliiſque ejuſdem ævi doctiſſimis antiquariis ignota fuit. Non mirum igitur, ſi ex antiquarii errore pro *R. Carolus*, obrepſerit *R. Conſtantinus*, cujus nomen ex conjectura tantummodo ignari antiquarii poſitum fuiſſe ex eo patet, quod neque ad caput genuflexi Pontificis (quem ego Hadrianum eſſe affirmo) nomen ejus appinxit, neque ſub pedibus Chriſti acclamationem ei Regi factam (quam ego eamdem eſſe ajo, ac illam a Baronio, & Pagio ad annum 774. relatam: *Carulo Regi Francorum, & Patricio Romanorum vita*) quod argumento eſt, antiquarium illum, quum muſivum in ſchedas referret, nullam vidiſſe inſcriptionem, niſi fortaſſe ſupra caput Regis genuflexi has mutilas litteras: *R. C. . . . . . VS*, quas ipſe per errorem exiſtimavit ſignificare *R. Conſtantinus*; quum ex habitu, ut diximus, debuiſſet intelligere Carolum Francorum Regem, non Conſtantinum, qui Imperator fuit, non Rex, quique præter Chriſtianam Fidem, neque

neque vexillum neque aliud quippiam a Summo Pontifice accepit. Ludit igitur operam Alemannus, dum, ut probet Regis titulum Carolo, etiam poſtquam Imperator renunciatus fuit, recte a Leone attributum, in exemplum adducit alteram imaginem, in qua Chriſtus claves Pontifici, cujus nomen non indicatur, ſiniſtra vexillum porrigit Imperatori, cujus nomen majuſculis litteris ſic innuitur: *R. Conſtantinus*, ideſt, ut ipſe interpretatur, *Rex Conſtantinus*, Regem, & Imperatorem ſynonymas voces eſſe affirmans. Pagius quoque rem non attigit, dum ad ann. 796. num. IX. literam R. ſupra Imperatoris Conſtantini, ut putat, nomen poſitam, non *Regem* ſignificare aſſerit, ſed *Romam*, de qua Conſtantinus bene meritus eſt, ejuſque exemplo Carolus. Uterque a vero aberrat. Alemannus quidem, dum Regis nomen pro Imperatore accipi contendit; quo enim in nummo, qua in inſcriptione, & a quo Scriptore Latino Conſtantinus Rex appellatus reperitur? Pagius autem, dum per literam *R.* intelligit Romam, idque ut probet, Ludovici Pii nummos Romæ cuſos allegat, in quibus legitur *ROMA. LVDOVICVS. In nummis enim, & inſcriptionibus* (ipſa Pagii verba contra Pagium retorquentur) *verba tantum apponi ſolita juxta genuinum, obvium, & planum eorum ſenſum ſunt accipienda, ideoque ad rem iſtam non facit, quòd in nummis Ludovici Pii ROMA. LVDOVICVS legatur*. Legitur ſiquidem integrum Romæ nomen, non litera initialis *R*, quæ certe in nummis & inſcriptionibus, proprio nomini præpoſita, *Rex* ſonat, aut *Robertus*, aut quid ſimile; non *Roma*. Præterquamquod, ut ſupra oſtendimus, in monumento iſto, neque Conſtantini effigies depicta eſt, neque ipſius nomen olim poſitum, ſed ab ignaro quodam antiquario pro *Caroli Regis* nomine perperam ſubrogatum.

Hæc pro veritate dicta ſunto, non ut doctiſſimi viri Alemanni, mei in Bibliothecæ Vaticanæ Præfectura deceſſoris, famæ detractum velim, qui niſi præſente, & vidente Cardinali Franciſco Barberino, a quo *R. Conſtantini* nomen in eo muſivo ex falſis cujuſdam ſchedis poſitum fuerat, ſuam illam eruditiſſimam Diſſertationem ſcripſiſſet, aliter,

aliter, ut opinor, de ea imagine, aliter de inſcriptione ſentiens, Carolum Regem utrobique repræſentatum affirmaſſet. At dum opinioni illius Cardinalis gratificari voluit, ingenioſa quidem argumenta protulit, ſed quæ ex ipſa muſivi operis inſpectione corruerent.

EX CAPITE XIV. EJUSDEM LIBRI.

Imagines vetuſtæ in eccleſia Aquiſgrani.

EO' argumenti copia nos adducit, ut unam, eamdemque materiam in plures dividere cogamur ſectiones, ne multa in unum congerendo faſtidium generetur, aut in pauca contrahendo, obſcuritas. Quocirca poſtquam capite præcedente de Ravennatibus eccleſiis ſatis diſſeruimus, hìc ſeorſim de muſivis agere inſtituimus, quæ in aliis quibuſdam Baſilicis conſpiciuntur, ut res in varias diſtributa claſſes magis dilucidam habeat tractationem.

Ab Aquiſgranenſi Baſilica exordium ducimus. Quoniam verò Ciampinus vulgarem fabulam ſequutus, non modò Baſilicam hanc, ſed urbem etiam Aquiſgranenſem a Carolo Magno ædificatas ſcribit; quædam præmittere juvat ad convellendum iſtiuſmodi commentum. Verba Ciampini par. 2. Veter. monim. cap. 21. de Aquiſgranenſi Baſilica a Carolo Magno conſtructa, muſivoque ornata circa annum Domini 802. pag. 129. hæc ſunt: -- Quanta cura,,
,, illam (religionem) coluerit Carolus, teſtantur templa
,, quamplurima regio ſumptu, & juſſu paſſim erecta, il-
,, ludque præ aliis ornatiſſimum, quod Deiparæ Virgini
,, princeps magnificentius ſtatuit juxta thermas in eo lo-
,, co deprehenſas, ubi poſtmodum & urbem Aquiſgranenſem excitavit -- mox addit hiſtoriam ſeu potius fabulam de conditu Aquiſgrani -- Ferunt enim, *inquit*,
,, Carolum venationis ſtudio, quo militare ingenium, ut
,, Reges ſolent, aliquando fallebat, ad locum perveniſſe
,, ſylvis conſitum, atque inter Moſam, & Rhenum, in
,, Menapiorum finibus conſtitutum, errore viarum, igno-
,, tiſque regionis anfractibus eò deductum perhibent, ubi
,, rude-

„ rudera veteris Palatii in thermalium fontium vicinia
„ conſpiciebantur. Granus, ut fama eſt, Neronis frater,
„ ſalubres aquas, & amœnam regionis faciem illo ædi-
„ ficio exornari voluerat, cui poſtmodum injuria tempo-
„ rum ſitum inducens, eodem tumulo molitoris memoriam,
„ quo famam operis ſepeliverat. Utriuſque tamen veſti-
„ giis peperciſſe quodammodo viſa ſunt ſæcula, quum
„ Palatii rudera ſervaret adhuc fides locorum, & Grani
„ nomen referrent illùc dirigendi melioribus auſpiciis
„ fontes. Opportuna Carolo ſedes viſa fuit, in qua non
„ religionis ſuæ tantùm, ſed & Imperii aream deſigna-
„ ret. Quapropter auguſtum B. Mariæ Virginis templum,
„ de quo mihi erit ſermo, attolli curavit. Curiam dein-
„ de univerſam illuc tranſtulit, ædificiis quamplurimis
„ auxit, & celeberrimam Regni coloniam (neglectos pri-
„ dem fontes, & ſine nomine ſaxum) in urbem erexit.
„ Nobilis itaque, & perampla civitas illa evaſit non tan-
„ tùm ob ſoli amœnitatem, Imperialemque ſedem ibidem
„ conſtitutam, verùm etiam quia in poſterum prima Ro-
„ manorum Imperatorum inauguratio, & coronatio in ea-
„ dem ſæpius celebrata fuit, ac ut celebranda perpetuo
„ foret, idem Carolus ſpeciali decreto ſancivit. Pergit nomina urbis recenſens, quibus a diverſis nationibus appellatur, *Ack* ſcilicet a Germanis, *Aken* a Flandris, *Aix la Chapelle* a Gallis, *Aquiſgrano* ab Italis, demum laudat Baudrandium, quem tamen aſſerit pro commento habere, quod Granus Neronis frater hanc condiderit civitatem; & quamquam de hujus urbis initio aliqua contrarietate loquuti ſunt auctores, diſſidium omne, ait, componi fide ipſis habita, nunquam tamen evinci, quod a Carolo Magno templum iſtud erectum non fuerit. Hactenus Ciampinus. Verùm non modò fabuloſum eſſe, quòd Granus Neronis frater hanc olim condiderit civitatem, uti Baudrandio conſentiens affirmat Ciampinus; ſed etiam quod Aquiſgranenſis urbis primordia ad Carolum Magnum referantur, conſtat ex antiquis Francorum Annalibus apud Cheſneum tom. 2. pag. 13. 27., e 36. & ex Eginhardo in vita ipſius Caroli Magni, qui Pippinum Regem anno 765.

Aquis

Aquis Paſcha celebraſſe, imo & hiberna *Aquiſgrani* habuiſſe memorant, ubi *& Natalem Domini, & Paſcha celebravit*. Ibidem etiam balneis corpus foviſſe, thermis nondum ædificatis, ex Monacho Sanctigallenſi narratur (1). In iiſdem Francorum Annalibus (2) Carolus Magnus dicitur ſtatim a Coronatione ſua *Natalem Domini* item celebraſſe *in Villa*, quæ dicitur *Aquis*. Hæc ſunt ex Mabillonio deſumta libr. 4. De re diplomatica pag. 246. qui poſtquàm Aquiſgranenſe palatium regium ante Carolum Magnum extitiſſe demonſtraſſet, ſubjungit: *Verùm Aquiſgranenſis palatii ſi non auctor certe inſtaurator fuit Carolus Magnus, qui Regias illic ædes (Lateranas (3) vocabant) Baſilicam, atque palatinis ædificia novo miroque opere a fundamentis erexit. Aquiſgrani*, ait Eginhardus, (4) *regiam extruxit, ibique extremis vitæ annis uſque ad obitum perpetim habitavit*. Idem atteſtatur Poeta Saxonicus, (5) qui Baſilicam Chriſto, ſanctæque ejus genitrici auctore Carolo conſecratam cum aliis laudat. Guntherus in libr. 1. *Ligurini ibidem cunabula Regni* a Carolo poſita memorat; & in hymno ejuſdem Caroli memoriæ ſacro dicitur:

> *Urbs Aquenſis, urbs regalis,*
> *Sedes Regni principalis,*
> *Prima regum curia.*

Quò ſpectat Nithardus, (6) qui Aquiſgranum ſedem primam Franciæ appellat. Ejus curiæ hi olim verſus inſcripti erant:

> *Carolus inſignem reddens hanc condidit urbem*
> *Quam . . . . poſt Romam conſtituendo*
> *Ut caput urbs tota colat hanc, & Gallia tota.*

Certè ſecundam Romam vocat Alcuinus, ſeu quiſquis eſt auctor a Caniſio editus Caroli Magni æqualis. Baſilicam Aquenſem, ſane pro tempore magnificam, vocabant *Capellam* teſte Eginhardo (7), unde indubie derivatum eſt

Y vulga-

(1) Cheſn. to. 2. pag. 131.
(2) Cheſn. to. 2. pag. 27.
(3) Annales Moiſacen. ad an. 796.
(4) Vita Carol. Magni tom. 2. Cheſn. pag. 102.
(5) Ibid. pag. 152.
(6) Ibid. pag. 376.
(7) In Annal. ad ann. 829.

vulgare nomen *Aix la Chapelle*. Iſtic Carolus Magnus ſepultura donatus eſt. Verſus ſupra laudati, qui olim Aquiſgranenſi curiæ inſcripti erant, errandi anſam iis dederunt, qui civitatem illam a Carolo Magno conditam autumant, ſic enim intelligunt primum verſum:

Carolus inſignem reddens hanc condidit urbem.

Verùm non totam urbem a Carolo conditam, ſed palatium duntaxat, palatinis ædificia, & Baſilicam Chriſto Domino, ſanctæque ejus genitrici Mariæ conſtat ex dictis.

Papebrochius in Propylæo Maii num. 28. ſuſpicatur ſub Carolo Magno urbem illam *Aquis* ſine addito appellatam fuiſſe. At reperitur *Aquiſgrani* nomen non ſolum ſub Carolo Magno, ſed etiam ſub Pipino ejus patre, quem anno 765 *Aquis* paſcha celebraſſe, & hyberna *Aquiſgrani* habuiſſe memorant antiqui jam citati Annales Francorum apud Cheſnium. Sub Carolo vero Magno expreſſum *Aquiſgrani* nomen legitur in duobus ejus placitis a Mabillonio ex autographo editis, & in Capitulari primo anni 789. quod ita clauditur tom. 1. Capitular. col. 241. *Anno Dominicæ Inc. DCCLXXXIX. Indict.* XII. *Anno XXI. Regni noſtri actum eſt hujus legationis edictum in Aquiſgrani palatio publico &c.* Et in Præcepto pro Hiſpanis tom. citato col. 502. *Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen.* Demum in Præcepto pro Adalarico Saxone apud Mabillon. pag. 513. *Actum Aquiſgrani palatio regio in Dei nomine feliciter. Amen*; quod Præceptum datum dicitur *VII. Id. Maii Anno, Chriſto propitio, Imperii noſtri XIII. Regni vero in Francia XIV. atque in Italia XXXIX. Indict. VI.* ideſt anno Chriſti 813.

Quum igitur conſtet urbem *Aquis* ſeu Aquiſgrani ante Caroli Magni tempora jam extitiſſe, ipſumque Carolum non civitatem quidem, ſed palatium, & aliquot alia ædificia ibi extruxiſſe, dicendum nunc de Baſilica ibidem condita. Miræus in Notitia Eccleſiarum Belgii profert Caroli Magni diploma, quo *bona Eccleſiæ ſanctæ Mariæ in novo caſtello conſtructæ* a Pipino proavo tradita confirmat, eaque *novi caſtelli* appellatione *Aquiſgranenſem* urbem putat deſignari: unde Aquiſgranenſis palatii, eccleſiæque

nata-

natales a Merovingicis Regibus altius repetendos Miræus exiſtimat. At eccleſia illa Beatæ Mariæ in novo caſtello (ut verbis utar Cl. Mabillonii libr. 4. De re diplomatica pag. 246.) dotata a Pipino majore-domus, non alia videtur ab eccleſia Novi Caſtelli *Neuf Chatel*, prope Arduennam ſiti, in quo Carolomannus Princeps Francorum Gripponem fratrem res novas molientem aliquandiu detinuit. Certe his verbis *Aquiſgranenſem Beatæ Mariæ Baſilicam* intelligi non poſſe conſtat ex alio Lotharii Auguſti diplomate itidem apud Miræum Notit. Belgic. cap. 33. ubi, quæ Carolus in præcepto ſuo bona recenſuit Novo-Caſtello prius conceſſa, eadem Lothario Abbati confirmata leguntur, *cui cellulam*, inquit Lotharius Imperator, *in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ conſtructam, ac fundatam in loco nuncupato Novo-Caſtello ad regendum commiſſam habemus*. Non ergo percelebrem Aquiſgranenſis palatii Baſilicam *Lotharius Cellulam*, aut in *Novo-Caſtello* conſtructam nominaſſet, quum & Aquiſgranenſis Baſilica nulli tum ſplendore atque amplitudine cederet, & Aquiſgranenſi Regiæ ſedi obſcura hæc *Novi-Caſtelli* appellatio minime conveniret.

A Carolo Magno ædificatam Baſilicam Aquiſgranenſem una cum palatio teſtatur auctor omni exceptione major Eginhardus, qui in ipſius Caroli vita hæc ſcribit: *Qui cum tantus in ampliando Regno, & ſubigendis exteris nationibus exiſteret, & in hujuſmodi occupationibus quotidie verſaretur, opera tamen plurima ad Regni decorem, & utilitatem pertinentia diverſis in locis inchoavit: quædam etiam conſummavit; inter quæ præcipua fere non immerito videri poſſent Baſilica ſanctæ Dei Genitricis Aquiſgrani opere mirabili conſtructa, & pons apud Moguntiacum in Rheno quingentorum paſſuum longitudinis (nam tanta eſt ibi fluminis latitudo) qui tamen uno antequam decederet anno incendio conflagravit, nec refici potuit propter feſtinatum ejus deceſſum, quamquam in ea meditatione eſſet, ut pro ligneo lapideum reſtitueret. Inchoavit & palatia operis egregii, unum haud longè a Moguntiaco, juxta villam, cui nomen eſt Ingelheim, alterum Noviomagi ſuper Vvahalem fluvium, qui Batavorum inſu-*

lam a parte meridiaua præterfluit . Et poſt pauca de palatio Aquiſgranenſi ſubjungit : *Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium , frequenti natatu corpus exercens , cujus adeo peritus fuit , ut nullus ei juſte potuerit præferri . Ob hoc etiam Aquiſgrani Regiam extruxit , ibique extremis vitæ annis uſque ad obitum continuo habitavit .* Demum de Baſilica Aquiſgranenſi : *Religionem Chriſtianam , qua ab infantia fuerat imbutus , ſanctiſſime , & cum ſumma pietate ac veneratione coluit ; ac propter hoc miræ pulchritudinis Baſilicam Aquiſgrani extruxit , auroque , & argento , & luminaribus , atque ex ære ſolido , cancellis , & januis ornavit ; ad cujus ſtructuram , quum columnas , & marmora aliunde habere non poſſet , Roma , atque Ravenna devehenda curavit .*

Quo anno Baſilicam & Palatium Carolus Aquiſgrani condiderit conſtat, ut opinor, tum ex hoc poſtremo Eginhardi teſtimonio , tum ex ipſius Caroli Magni diplomatibus. Mabillonius libr. 6. De re diplom. pag. 499. refert Caroli Magni diploma , quo confirmat privilegium Salonæ contra epiſcopum Metenſem . Initium : *Carolus , gratia Dei Rex Francorum , Longobardorum , atque Patricius Romanorum . Oportet ſerenitas noſtra &c. Datum .... Decembris anno X. Regnante Domno noſtro Carolo Rege . Actum Aquis Palatio publico in Dei nomine feliciter . Amen* ; ideſt anno Chr. 777. Item pag. 503. Chartam Ghiſelæ Caroli Magni ſororis , qua monaſterio Dionyſiano multa confert prædia , quæ a parentibus acceperat . *Data Id. Jun. anno XXXI. & XXVI.* (1) *Regnum* (Regnorum) *Domni noſtri , Actum Aquis Palatio in Dei nomine feliciter amen* . Anno nimirum Chriſti 791. Alterum quoque Caroli Magni Regis Diploma pag. 504. , quo Theodoldum Comitem abſolvit a ſuſpicione læſæ majeſtatis , eidemque bona propria reſtituit : Data pridie Aprilis *Anno XXVIII. & XXV. Regni noſtri .* (1) *Actum Aquis Palatio noſtro in Dei nomine feliciter*

(1) Legendum anno Regni in Francia XXIII. in Italia XVIII. ſi verum eſt datum id Diploma anno Chr. 791.

(1) Legendum anno Regni in Francia XXIX. in Italia XXIV. ſi datum eſt id Diploma anno Chr. 797. uti Mabillonius aſſerit .

ter. Amen; nimirum, ut notat Mabollonius, anno Chriſti 797. Tertium pag. 390. pro Eccleſia Oſnabrugenſi Datum XIV. Kal. Jan. *anno III. Chriſto propitio Imperii noſtri, & XXXVI. Regni noſtri in Francia, atque XXX. in Italia Ind.* XI. *Actum Aquis* Palatio publico &c. hoc eſt Anno Chr. 803. Quartum denique Caroli Magni Præceptum pro Adalrico Saxone, Dat. VII. Id. Maii *Anno Chriſto propitio Imperii noſtri XIII. Regni verò in Francia XLV. atque in Italia XXXIX Ind.* VI. *Actum Aquiſgrani in Palatio Regio in Dei nomine feliciter. Amen*; hoc eſt anno Chr. 813. Ex his Diplomatibus manifeſtum fit, palatium Aquiſgrani a Carolo Magno decimo Regni ſui in Francia anno, hoc eſt Chr. 777. menſe Decembri jam ædificatum fuiſſe, ac proinde (2) *Palatium publicum*, *Palatium Regium*, & *Palatium noſtrum* jure appellari. Idem dicendum de Baſilica s. Mariæ in eodem palatio ædificata, ad cujus ſtructuram (ut inquit Eginhardus) quum columnas, & marmora aliunde habere non poſſet Roma, atque Ravenna devehenda curavit; id quod poſt annum 774. quo Carolus Magnus de Lombardis triumphavit, & ante annum 777. quo palatium Aquiſgrani jam ſtabat, ſedemque Apoſtolicam Hadrianus regebat, conſtitiſſe oportet; nam inter epiſtolas Hadriani Papæ, quarum ſummarium Baronius ad ann. 795. ex Bibliotheca Vaticana exhibet, quæque in Codice Carolino editionis Gretſerianæ extant integræ, duodecima eſt, qua Hadrianus Papa *Carolo Regi muſiva, & marmora palatii urbis Ravennæ, tàm in parietibus, quam in ſtratis ſita, ſicut per Arvinum Ducem petierat, concedit*. Hæc Hadriani epiſtola in tom. 8. Concil. Labb. eſt XIII., in Codice verò Carolino a Gretſero primum, deinde a Ducheſnio tom. 3. Script. Franc. edito LXVII. ex quo codice fragmentum producitur in edit. Veneta Concil. Labb. anni 1729. to. 8. pag. 533. his verbis: *Potentiæ veſtræ per Arvinum Ducem ſuſce-*

Carolus vocatur compater: ergo post an. 781. Reginae nudum nomen Fastradam signat: ergo post 783.

(2) Pippinus Caroli Magni pater obiit anno Chr. 768. VIII. Kal. Octobris; Carolus autem Magnus Rex Franciæ inunctus fuit eodem anno 768. VII. Id. Octobris in Noviomaci civitate. Vide Pagium ad an. 768. num. 6. Italiæ autem Regnum auſpicatus eſt anno 774. menſe Junio die 15. ſeu 20. Imperator demum dictus anno 800. die 25. Decembris ipſo Natalis Chriſti die.

ſuſcepimus apices, in quibus referebatur, quod palatii Ravennatis civitatis muſiva atque marmora, ceteraque exempla tam in ſtrato, quamque in parietibus ſita vobis tribueremus. Nos quidem libenti animo, & puro corde cum nimio amore veſtræ excellentiæ tribuimus effectum, & tam marmora, quamque muſivum, ceteraque exempla de eodem palatio vobis concedimus auferenda, quia per multa veſtra laborioſa regalia certamina multis bonis fautoris veſtri Beati Petri clavigeri Regni cœlorum eccleſia quotidie fruitur, quatenus merces veſtra copioſa adſcribatur in cœlo. Carolus Magnus anno Chriſti 774. quum Romam veniſſet, & ab Hadriano Papa ſabbato ſancto feria 1. 2. & 3. Paſchatis honorifice exceptus fuiſſet in Baſilicis Lateranenſi, Liberiana, Vaticana, & S. Pauli: *quarta feria* (ut ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius) *prænominatus pontifex cum ſuis judicibus tam cleri, quam militiæ in eccleſia Beati Petri Apoſtoli cum eodem Rege ad colloquendum ſe conjungens, conſtanter eum deprecatus eſt, atque admonuit, & paterno affectu adhortari ſtuduit, ut promiſſionem illam, quam ejus ſanctæ memoriæ genitor Pippinus Rex, & ipſe præcellentiſſimus Carolus cum ſuo germano Carolomanno unacum omnibus judicibus Francorum fecerat Beato Petro, & ejus vicario ſanctæ memoriæ Domno Stephano juniori Papæ, quando in Franciam perrexit, pro concedendis diverſis civitatibus ac territoriis iſtius Italiæ provinciæ, & contradendis Beato Petro, ei, & omnibus vicariis in perpetuum poſſidendis, adimpleret in omnibus. Quumque ipſam promiſſionem, quæ in Francia in loco, qui vocatur Cariſiacus, facta eſt, idem excellentiſſimus Rex Carolus ſibi legi feciſſet, complacuit illi, & ejus judicibus omnia, quæ ibi erant adnexa confirmare, & propria voluntate bono ac libenti animo aliam donationis promiſſionem ad inſtar anterioris ipſe antedictus excellentiſſimus, & revera chriſtianiſſimus Carolus Francorum Rex conſcribi juſſit per Etherium religioſum, ac prudentiſſimum capellanum, & notarium ſuum, ubi conceſſit eaſdem civitates & territoria Beato Petro, atque præfato Pontifici, atque ſpopondit per deſignationem finium* (Hic enumerantur civitates, ac provinciæ, quas Carolus Magnus Sedi Apoſtolicæ confirmat, atque in his *univerſus Exarchatus Ravenna-*

vennatium ſicut antiquitus erat) Mox ſubjungit Anaſtaſius: *Factaque eadem donatione eam propria ſua manu ipſe chriſtianiſſimus Francorum Rex corroborans univerſos epiſcopos, abbates, judices etiam & graphiones in ea ſubſcribere fecit.* Hinc apparet cur, & quando Carolus Magnus ea muſiva, & marmora ab Hadriano Papa petierit; poſt hunc ſcilicet annum 774., & ante annum 777., quo jam palatium Aquiſgrani conſtruxerat, & quia Ravenna civitas cum univerſo Exarchatu ad Sedem Apoſtolicam pleno jure pertinebat. Quamquam autem in epiſtola Hadriani Papæ nulla ſit mentio marmorum, & muſivorum Roma miſſorum, ſed ſolùm de palatio Ravennatis civitatis auferenda conceduntur, fides tamen non eſt deroganda Eginhardo ejus temporis fideliſſimo Scriptori, qui diſertis verbis teſtatur: *Ad ſtructuram Baſilicæ Aquiſgranenſis quum columnas, & marmora aliunde habere non poſſet, Roma atque Ravenna devehenda Carolum curaſſe.*

Reſtat inquirendum, quo anno, & a quo Baſilica illa conſecrata fuerit. A Leone Tertio Papa conſecratam fuiſſe communis traditio eſt. Quoad annum non convenit inter Scriptores. Baronius factam exiſtimat anno Chriſti 804. menſe Septembri, cujus rei teſtem citat S. Ludgerii epiſcopi Monaſterienſis epiſtolam, quæ extat apud Surium in vita S. Svviberti die 1. Mart. *Quod vero ſpectat ad res geſtas a Leone in Germania prolixior de cunctis narratio habetur in epiſtola S. Ludgeri his verbis: Idem S. Leo Papa anno Dominicæ Incarnationis octingenteſimo* (1) *tertio cum magna ſolemnitate ſuorum Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Prælatorum, & Primatum ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens, & ab eodem Imperatore Imperialiter cum ſuis ſuſceptus inter multa pietatis ſuæ opera, inſtantia ejuſdem ſereniſſimi Imperatoris, & Regis, Aquiſgrani in palatio dedicavit eccleſiam perpetuæ Virginis Mariæ, donans eamdem eccleſiam multis indulgentiis; deinde humili petitione, & inſtantia venerabilis Patris Gerbaldi epiſcopi Leodienſis conſecravit eccleſias glorioſæ Virginis Mariæ tam in Tungris, quàm in Viſeto.*

(1) Legendum monet *Quarto*.

to: & in Colonia Agrippina tam ad Sanctum Martinum, quam in Capitolio altaria conſecravit, & multa ali monaſteria, & altaria, & cappellas per Alemanniam, & Galliam conſecravit, ubique multas indulgentias conferendo. Pergit narrare, eumdem Leonem Papam, Carolo Imperatore, & Hildebaldo Colonienſi Archipræſule rogantibus, ac ſtipantibus, veniſſe a Colonia navigio in Vverdam, eique occurriſſe uſque ad Rhenum Fratres Conventus S. Svviberti una cum incolis oppidi de Vverda, introducentes eum cum Imperatore, ac ſacrato choro ſanctorum Cardinalium, & Archiepiſcoporum, & multorum Procerum in eccleſiam s. Svviberti; & die illo, quo intravit, jejunaſſe incolas de Vverda cum toto Conventu auctoritate Apoſtolica: altera verò die pridie nonas Septembris tam Papam quam Carolum Imperatorem & alios conveniſſe in eccleſiam, & Conventum s. Svviberti, & ſacram miſſam celebrante ſolemniter Felice Hildebaldo Colonienſi Archipræſule, & ſanctiſſima vita ipſius Svviberti cum innumeris miraculis conſcripta per venerabilem presbyterum Marcellinum ſocium & conterraneum ipſius Sancti ibidem lecta, Papam ſanctum Leonem de aſſenſu pariter & conſenſu ſuorum Cardinalium ceterorumque Prælatorum illic coram aſtantium, ſolemniter catalogo ſanctorum Confeſſorum ipſum adſcripſiſſe; quo facto, inquit, pulſata campana Conventus per aliquot horas ad honorem Dei, & gloriam ipſius ſancti, quum perdulcia modulamina laudum Fratres devotiſſime Deo rependiſſent gratias, cantando humiliter hymnum *Te Deum laudamus*, & Reliquiæ ſive oſſa ipſius ex monumento, in præſentia ſanctiſſimi Apoſtolici Leonis, & Caroli Imperatoris ceterorumque, per præfatum Archiepiſcopum Colonienſem tollerentur devote; maxima dulciſſimi odoris in eodem loco cœlitus effuſa eſt fragantia, cujus ſuavitas omnium ora, & corda aſtantium reficiebat, itaut nullus ambigeret ibidem adeſſe Angelorum choros. Tum concludit: *Facta ſunt hæc pridie nonas Septembris præſentibus ibidem victorioſiſſimo Carolo ſemper Auguſto Romanorum Imperatore & Francorum Rege, venerabilibuſque Patribus, Cardinalibus, Archiepiſcopis Bernardo Oſtienſi, & Fortunato Trevi-*

Trevirorum, Theodoro Sabinenſium, Nicolao tit. s. Crucis in Hieruſalem, Euſtachio s. Praxedis, Bonifacio tit. ss. Marcellini, & Petri presbyteris Cardinalibus, Gerbaldo Leodienſi, Volquino Normenſium epiſcopis, & præſertim Felice Hildebaldo Colonienſi archiepiſcopo, cujus induſtria, & pia inſtantia ſanctus Leo Vverdam navigavit, & s. Svvibertum in Divos ſanctos retulit cum multis aliis prælatis, & proceribus. Statuit inſuper ſanctiſſimus Papa Leo illum diem canonizationis, & exaltationis s. Svviberti egregii epiſcopi perpetuis temporibus per totum oppidum a cunctis incolis Vverdæ celebrandum ob honorem s. Svviberti Apoſtolici epiſcopi. Obtulit autem idem ſanctus Papa eidem eccleſiæ ſpeciales indulgentias cunctis Fidelibus celebrantibus feſtum s. Svviberti epiſcopi, & ad Divina confluentibus. Item idem Papa obtulit parvam auream Crucem refertam particula s. Crucis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Rixfridus Trajectenſis epiſcopus Liudgerum Monaſterienſem antiſtitem per literas rogaſſe dicitur, ut elevationem, & canonizationem s. Svviberti cum miraculis in ſcripta dirigeret, quæ libro de illius vita per Marcellinum ſcripto addi poſſent. Liudgerus reſponſum edidiſſe perhibetur, in quo multa commemorans miracula a s. Svviberto facta, ea etiam adjecit, quæ ſupra retulimus de ipſius canonizatione per s. Leonem III. facta, deque variis eccleſiarum in Germania per eam occaſionem conſecrationibus ab eodem Pontifice ſolemni ritu præſente Carolo Imperatore celebratis. Verùm totam illam narrationem Liudgero tributam, poſteriorum commenta eſſe viri docti dudum demonſtrarunt, ac præſertim Broverus in Notis ad Vitam S. Ludgeri cap. 32. Joſeph Maria ſanfelicius Apoſtolicæ Sedis olim Nuncius ad Trajectum Rheni in epiſtola, quam ediderunt continuatores Bollandiani ad diem 26. Martii §. 8. Morinus in commentario de adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ libr. 10. cap. 20. Joannes Mabillonius in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti, & in Præfat. ad ſeculum V. §. 6. num. 100. Cointius ad ann. 805. num. 7. & ſeq. Pagius ad ann. 804. num. 4. & 5. & alter Pagius in vita s. Stephani II. alias III. num. 14. Vide egregium opus ſanctiſſimi D. N. BENEDICTI XIV.

 de Ser-

de Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum canonizatione libr. 1. cap. 7. num. 12. & 13. ubi auctores omnes recenſet, qui pro, ſive contra hanc s. Ludgeri epiſtolam ſcripſere. Omiſſis tamen ſolidis aliorum rationibus, quibus tanquam futilem, & commentitiam, atque ante annos forſan quadringentos confictam ſub nomine s. Ludgeri epiſtolam afferunt, juvat hic Bollandianorum, hoc eſt cl. Henſchenij argumenta producere, quæ ad rem noſtram maxime omnium faciunt: *Ego* (inquit ad diem 26. Martii) *duo ſolum quæro, ad quæ non arbitror poſſe quemquam eorum, qui & ſancti Svviberti vitam a ſancto Marcellino ſcriptam, & hiſtoriam canonizationis a ſancto Ludgero mordicus tuentur, reſpondere. Primum, qui potuerit ſanctiſſimus Pontifex tantillo ſpatio, quo apud Imperatorem fuit, octo videlicet dierum, tot loca tam diſſita adire, tantas res exequi, & tam laborioſas, ut eſt eccleſiarum ita multarum conſecratio. Alterum, quum natalem Domini celebrarit in Cariziaco cum eodem Imperatore, nec niſi octo diebus apud eum in Francia ſubſtiterit, qua ratione fingi poteſt, pridie nonas Septembris, poſt Domini natalem menſes octo, dies undecim, canonizationem illam celebraſſe?* Quæ igitur ſcribuntur in hac epiſtola de tempore itineris Leonis III. ad Carolum, de mora ipſius in Caroli comitatu, de variis cum eo itineribus ſuſceptis, omnia ἀνιστορήτως ficta ſunt, & cum iis, quæ referunt illius temporis auctores, conſtare non poſſunt, ut unicuique iſta comparanti cum his, quæ mox producentur, evidens erit.

Annaliſta Metenſis de adventu Leonis III. Papæ in Franciam ad ann. 804. hæc habet: *Medio Novembrio nunciatum eſt ei* (Carolo Imperatori) *Leonem Papam natalem Domini cum eo celebrare velle ubicumque illi placuiſſet; quod Rex gratanter ſuſcepit, & ſtatim miſſo filio ſuo Carolo ad ſanctum Mauricium, eum ſuſcipere honorifice præcepit. Ipſe vero obviam illi apud Remorum civitatem in Baſilica beati Remigii epiſcopi & confeſſoris profectus eſt: ibique ſuſceptum ad Cariziacum uſque perductum cum eo natalem Domini celebravit. Inde pariter proficiſcentes pervenerunt ad Sueſſionis civitatem, in qua dimiſſo Papa ad colloquium germanæ ſuæ Giſlæ, quæ in his diebus ægrotabat, ad Calam Monaſterium pervenit,*

venit, fruituſque ejus colloquio, ad Cariziacum villam Leonem Papam, quem apud ſanctum Medardum dereliquerat, ſibi obviam venire fecit. Deinde Aquis perduxit, & honoratum magnis muneribus per Bajoariam ire volentem, a ſuis duci fecit uſque Ravennam. Cauſa adventus ejus hæc fuit. Nunciatum eſt Imperatori Jeſu Chriſti Domini noſtri ſanguinem in Mantua civitate fuiſſe repertum, & Imperator ad Papam direxit rogans, ut veritatem rei perquireret; qui accepta occaſione a Roma exeundi primo in Longobardiam, quaſi pro inquiſitione prædicta, profectus eſt; deinde arrepto itinere ſubito ad Imperatorem uſque pervenit, manſitque apud illum dies octo, & ſicut dictum eſt, Romam repedavit. Eadem narrant alii Annaliſtæ, Rhegino, Monachus Engoliſmenſis, & incertus auctor in vita Caroli; ex quibus palam fit poſt medium Novembrem anni 804. Leonem Papam iter ad Carolum in Franciam arripuiſſe, ut natalem Domini cum eo celebraret. A Carolo Caroli magni filio ad oppidum s. Mauritii exceptum fuiſſe, & a Carolo Magno in civitatem Remorum in baſilica s. Remigii, indeque ad Cariziacum villam (1) deductum, ubi natalem Domini celebravit. Inde Pontifex, & Imperator Sueſſionem urbem Cariziaco vicinam (2) ſimul profecti ſunt, ſed accepto nuncio de morbo, quo Giſla Caroli ſoror abbatiſſa Calenſis in agro Pariſienſi laborabat, relicto apud Sueſſionem Papa, ſtatim Imperator iter Calam verſus arripuit, indeque recta Cariziacum perrexit, quò ſe Pontifex quoque Sueſſione ex palatio Regio ad s. Medardum ſito, ubi a Carolo derelictus fuerat, mox contulit (3); deinde Aquiſgranum profecti ſunt. Pagius natalem Domini in Cariziaco villa celebratum a Leone Papa, & a Carolo Imperatore ſcribit, non primo Cariziacum adventu, qui ſupra deſcriptus eſt, ſed hoc ſecundo, quum Leo Papa ex ſancti Medardi apud Sueſ-

(1) *Cariziacum* palatium, ſeu villa regia in diœceſi Sueſſionica ad Iſaram fluvium, abeſt a Noviomago, ſeu Noviomo non integris leucis tribus. Vide Mabill. De re diplomatica libr. 4. pag. 158.

(2) Inde, ideſt a Cariziaco, non ab urbe Remis, uti ſcribit Pagius ad ann. 804. num. 2.

(3) Ad s. Medardum prope Sueſſiones palatium regium. Vide Mabillonium libr. 4. De re diplom. pag. 300.

Sueſſionem palatio illuc contendit : *Relicto* (inquit) *apud Sueſſionem Papa, ſtatim Imperator iter Calam verſus arripuit, indeque recta Cariziacum perrexit, quò ſe quoque Pontifex Sueſſione mox contulit. Illic ambo natalem Domini celebrarunt, ſimulque manſerunt dies octo, deinde Aguiſgranum contenderunt*. At Annaliſta Metenſis natalem Domini in primo Cariſiacum adventu celebratum fuiſſe docet: *Ipſe verò* (Carolus) *obviam illi* (Leoni Papæ) *apud Remorum civitatem in baſilica beati Remigii epiſcopi, & confeſſoris profectus eſt, ibique ſuſceptum, ad Cariziacum uſque perductum cum eo natalem Domini celebravit*. Mox narrat ſecundum Leonis adventum in villam Cariſiacum his verbis: *Inde pariter proficiſcentes pervenerunt ad Sueſſionis civitatem, in qua dimiſſo Papa ad colloquium germanæ ſuæ Giſlæ, quæ in his diebus aegrotabat, ad Calam monaſterium pervenit, fruituſque ejus colloquio, ad Cariſiacum villam Leonem Papam, quem apud s. Medardum dereliquerat, ſibi obviam venire fecit, deinde Aquis perduxit*. Quum autem Annaliſtæ omnes narrent, Leonem Papam manſiſſe in Francia cum Carolo tantùm dies octo, reverſumque fuiſſe Romam, ideſt ab Aquiſgrano per Bajoariam arrepto itinere, a Caroli militibus deductum fuiſſe uſque Ravennam, dubium oritur an octo illi dies inſumti fuerint a primo Leonis Papæ ad Carolum adventu uſque ad ipſius ex urbe Aquiſgranenſi diſceſſum, quod Annales Francorum videntur innuere, nam narratis rebus omnibus, quæ a Leone Papa, & Carolo Imperatore geſta ſunt, concludunt: *Idem ad Imperatorem veniens, manſit cum eo dies octo, reverſuſque eſt Romam*; ſeu ut incertus auctor in vita Caroli habet ad ann. 804. *Indeque* (ex Longobardia) *arrepto itinere ſubito ad Imperatorem uſque pervenit, manſitque apud illum dies octo, &, ſicut dictum eſt, Romam repedavit*. An verò dies octo, quibus Leo Papa cum Carolo manſiſſe dicitur, intelligendi ſint de tempore, quo natalem Domini una cum ipſo in Cariſiaco villa celebravit; hoc Pagius tradit num. 2. inquiens: *Illic ambo natalem Domini celebrarunt, ſimulque manſerunt dies octo; deinde Aquiſgranum contenderunt*. Et num. 3. *Quum vero Annaliſtæ affirment, Papam apud Imperatorem manſiſſe tantum dies octo, & natalem Domi-*

Domini ſimul celebraſſe, *apparet illum anni ſequentis initio Romam acceſſiſſe*. Idem Pagius ex epiſtola Leonis Papæ ad Carolum Magnum oſtendit ſaltem per aliquot dies ipſum Aquiſgrani manſiſſe: *Leo Papa* (inquit) *& Carolus Imperator*, *dum Aſquiſgrani eſſent*, *egerunt de epiſcopis Iſtriæ*, *qui patriarchæ Foriulienſi tunc ſubmittebantur*, *& ſtatuerunt*, *ut ad Gradenſem redirent provinc.am*, *a qua fuerant ab annis tantùm aliquot avulſi*, *poſtquam Iſtris dominari cœperant Franci*. *Pontifex in epiſtola ſua ad Carolum*, *ordine XI. ait*: *Reſervatur in ipſis veſtris Imperialibus apicibus*, *quomodo in Aquis palatio nobiſcum providetis de Aquilejenſi eccleſia*, *velut una*, *quæ ſuam ſedem haberet*. Veroſimilius igitur exiſtimo de primo Leonis Papæ Cariſiacum adventu intelligendum eſſe, & quòd natalem Domini cum Carolo Imperatore ibi celebravit, & quod unacum ipſo dies octo tunc egerit, ac proinde ineunte anno 805. e Cariſiaco Pontificem, & Imperatorem proficiſcentes diem ſaltem unum, ideſt ſecundum Januarii, Sueſſionis egiſſe, in qua urbe ad s. Medardi palatium, dimiſſo Papa, Carolum uno ſaltem die apud Calam colloquio Giſlæ ſororis fruitum, altero die, ideſt 4. Januarii, ad Cariſiacum villam Leonem Papam ſibi obviam venire feciſſe: deinde die ſequenti Aquiſgranum eum perduxiſſe, ubi die 6. Januarii, & feſtum Epiphaniæ ſimul celebrarunt, & Leo Pontifex baſilicam illam dedicavit; quod & Oldoinus die 6. Januarii contigiſſe aſſerit in vita s. Leonis III. enormi anachroniſmo id factum ad annum 804. retrahendo. Ibidem eodem die, aut ſequenti, actum de epiſcopis Iſtriæ: mox honoratus Pontifex magnis muneribus per Bajoariam ire volens; a Caroli militibus uſque Ravennam deductus eſt. Ciampinus octo duntaxat dies Leonem Papam a primo ejus in Franciam adventu uſque ad diſceſſum ab Aquiſgranenſi civitate manſiſſe exiſtimat, adeoque pag. 134. ait: *Ipſius eccleſiæ conſecrationem executam fuiſſe*, *aut in fine anni* 804., *aut prima die* 805. ſed tantillo ſpatio, quo apud Imperatorem fuit, octo videlicet dierum, non video qui potuerit ſanctiſſimus Pontifex tot loca, non paucis leucis ab invicem diſſita, adire, & tantas res exequi, maxime in ſolemnioribus illis anni diebus, qui a natali Domini ad ejus octavam effluxere. Ano-

Anonymus in fragmento hiſtorico inter rerum Germanicarum Scriptores inſerto, ac ab Urſtiſio collecto, conſecrationem baſilicæ Aquiſgranenſis fuſius deſcribit, additis tamen circumſtantiis nonnullis, quæ narrationem ipſius commentitiam eſſe demonſtrant: *Carolus* (inquit) *factus Imperator Galliarum* (1) *fines adiit, & locum, qui Aquis* (2) *ab aquarum calidarum adeptione traxit vocabulum; ſolito more venandi cauſa aggreſſus eſt, & perplexione ſylvarum, & errore viarum a ſociis ſeparatus, thermas calidorum fontium, & palatia inibi reperit, quæ quondam Granus unus de Romanis principibus frater Neronis, & Agrippæ conſtruxerat, quæ longa vetuſtate deſerta a vepribus occupata, pede equi, quo ſedet, inter ſaltus rivos aquarum calidarum* (3) *percepit, & reperit: in quo loco ſub titulo, & honore B. Dei Genitricis Mariæ fundavit eccleſiam* (4) *miri decoris, quam auro, & argento, & vario ornatu ſoli, aeris cancellis quoque, & januis magnifice adornavit, ad cujus etiam fundationis ſtructuram, quum columnas, & marmora aliunde habere non poſſet, Roma, Ravenna,* (1) *ac Treveri devehenda curavit, nullum laborem ac ſumptum recuſans. Conſecrationem vero ejuſdem baſilicæ quanta ſolemnitate epiſcoporum, & prælatorum, quanta totius Regni, & Imperii primatuum & Principum numeroſitate celebraverit, adſcito* (2) *etiam beato Leone ſanctæ Romanæ ſedis Præſule, ſeries geſtorum principalium manifeſte dictavit.*

---

(1) Hoc primum commentum quaſi Carolus poſtquam anno 800. coronatus eſt Imperator, primum Gallias adiiſſet, quum uſque ab anno 768. poſt obitum Pipini, patris Noviomi Rex inunctus fuiſſet.

(2) Secunda fabula de Grano Neronis fratre, qui thermas, & palatia Aquis extruxiſſe dicitur.

(3) Tertium commentum, quòd Carolus jam Imperator poſt annum 800. per venationis occaſionem aquas, & dirutum palatium reperit, ubi poſtea Aquiſgrani palatium, & baſilicam condiderit; conſtat autem ante ipſius Caroli ætatem Aquis palatium extitiſſe ubi Pipinus pater diplomata nonnulla edidit.

(4) Hoc tantummodo verum eſt, quod ex Eginhardo, & Annalibus Francorum deſumtum de ſtructura baſilicæ Aquiſgranenſis.

(1) Hadrianus in epiſt. ad Carolum de *Ravenna* tantum meminit, Eginhardus addit *Romam.* Anonymus iſte etiam *Treverim,* ſic fama creſcit eundo, & fortaſſe non deerit, qui ab urbe Conſtantinopoli muſiva Aquiſgranenſia arceſſat.

(2) *Adſcito B. Leone.* Jam vidimus non a Carolo adſcitum in Galliam, & Germaniam Leonem Papam, ſed hunc miſiſſe ad Carolum, qui nuntiaret, ſe velle natalem Domini cum eo celebrare, ubicumque illi placuiſſet.

vit. Illius namque eccleſiæ celeberrima dedicatio (1) *ſub præſentia metropolitanorum, & epiſcoporum numero* 365. *; excepta innumerabili Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum tam Italiæ, quam Saxoniæ, tam Bavariæ, quam Alemanniæ, & utriuſque Franciæ ab omnibus eſtglorioſiſſime ſolemnizata. Illic igitur Domino Apoſtolico, & omnibus prædictis nobilibus, & egregiis perſonis congregatis Imperator meruit ab omnibus obtinere pro nimia devotione, quam erga ipſum locum, & Matrem Chriſti habebat, ut in templo eodem ſedes unctionis Regiæ locaretur, & locus regalis, & caput Galliæ trans alpes haberetur, & in ipſa ſede reges ſucceſſores, & hæredes Regni initiarentur, & ſic initiati jure dehinc Imperialem benedictionem Romæ a Domino Apoſtolico ſine ulla interdictione plenius aſſequerentur. Confirmatum, & ſancitum eſt a Domino Apoſtolico Leone, & a Carolo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, quatenus ratum, & inconcuſſum hoc ſtatutum, & decretum maneat, ut Aquiſgrani ſedes Regni trans alpes habeatur, ſitque caput omnium civitatum, & provinciarum Galliæ. Acquieverunt univerſi voluntati Imperatoris, qui ad hoc ſolemne dedicationis ex diverſis Regnis confluxerant, ac bonum, & acceptum coram Deo, & hominibus, Apoſtolici, & Imperatoris decretum aſtruxerunt, & omnium graduum epiſcoporum, abbatum quoque banno corroborari hanc petitionem univerſi acclamarunt.* Nullum extat ante Leonis Papæ, aut Caroli Magni, ſive utriuſque in ficto iſto Aquiſgranenſi conventu decretum, ut *Aquiſgrani ſedes Regni trans alpes habeatur, ſitque caput omnium civitatum, & provinciarum Galliæ*, quemadmodum comminiſcitur Anonymus; ſed neque illuc acceſſit Leo Papa, niſi ut inde Bajoariam pertranſiret, indeque in Italiam reverteretur, quamobrem tota illius conventus, quæ hic fingitur, cauſa corruit. Fundamentum tamen iſthæc comminiſcendi deſumtum eſt primo quidem ex ipſius Caroli Magni facto, qui quum Franciæ, & Germaniæ Rex eſſet, quumque Aquiſgrani Regiam, teſte Eginhardo, extruxiſſet, ibi extremis vitæ annis uſque ad obitum

---

(1) *Celeberrima dedicatio ſub præſentia metropolitanorum, & epiſcoporum numero* 365. Comparanda hæc ſunt cum epiſtola s. Ludgeri, utraque conficta ſequiori ſeculo, ſed in ea epiſtola non tantus epiſcoporum numerus, quantus hic, confingitur.

obitum perpetim habitavit, ibique poſt mortem ſepultus fuit. Deinde ex ſequentium Imperatorum non interrupta ſerie, qui in baſilica Aquiſgranenſi coronari ſolent, tanquam in Imperii Germanici ſede. Hinc eſt, quod, ut ſupra notavimus, in hymno Caroli Magni memoriæ ſacro canitur: *Urbs Aquenſis, urbs Regalis, ſedes Regni principalis, prima regum curia*. Et Guntherus in libro primo *Ligurini*, ideſt operis a rebus in Liguria geſtis nomen ſortiti tom. I. Scriptor. Germanicor. per Reuberum edito Hanoviæ 1619. pag. 289. loquens de Friderico Aenobarbo in Imperatorem electo, & Aquiſgrani coronato, ſic ait de Aquiſgrano:

Hoc ubi prima loco, veluti cunabula Regni
Carolus eſſe volens, magno quum Francia Regi
Utraque ſerviret, primam geſtare coronam
Juſſit, & in ſacra Reges ibi ſede locari;
At ſimul a noſtra ſeceſſit Gallia Regno
Nos priſcum Regni morem ſervamus, at illa
Jure ſuo gaudet, noſtræ jam neſcia legis.

Quem Guntheri poetæ locum Jacobus Spiegelius Seleſtadienſis ſcholio hujuſmodi illuſtrat: *Defuncto Carolo Imperatore hujus nominis tertio, quem Otho Præſul Friſingenſis Chriſtianiſſimum appellat, memorabileque repræſentat exemplum viciſſitudinis rerum; quod ille poſt Carolum Magnum ceteris Francorum Regibus potentia præſtans, ante ſupremum diem ab Arnulpho, qui eo vivente, hactenuſque nullo exemplo ſubrogatus erat, panis egens ſtipem petierit, a quo etiam paucos, ut ipſe ait, fiſcos in Alemannia gratanter ſuſcepit, Imperium multis modis, eodem authore, ſcinditur, ſingulis provinciis ſingulos Reges creare adnitentibus.*

Quod autem Carolus Magnus in baſilica Aquiſgranenſi a ſe condita ſepultus ſit, teſtatur Eginhardus in ipſius vita: *Septimo poſtquam decubuit die ſacra Communione percepta deceſſit anno ætatis ſuæ LXXII. & ex quo regnare cœperat XLVII. v. Kal. Febr. hora diei tertia. Corpus more ſolemni lotum, & curatum, & maximo totius populi planctu eccleſiæ illatum,*

atque

atque humatum eſt . Dubitatum eſt primo , ubi reponi deberet , eo quod ipſe vivus de hoc nihil præcepiſſet . Tandem omnium animis ſedit , nuſquam eum honeſtius tumulari poſſe quam in ea baſilica , quam ipſe propter amorem Dei , & Domini noſtri Jeſu Chriſti , & ob amorem ſanctæ , & æternæ Virginis Genitricis ejus proprio ſumtu in eodem vico conſtruxit . In hac ſepultus eſt eadem , qua defunctus , die , arcuſque ſuper tumulum deauratus cum imagine , & titulo exſtructus , cujus hæc fere ſunt verba : Sub hoc conditorio ſitum eſt corpus Caroli Magni atque orthodoxi Imperatoris , qui Regnum Francorum nobiliter ampliavit , & per annos XLVII. feliciter tenuit . Deceſſit ſeptuagenarius anno Domini DCCCXIV. Indictione VII. *v. Kal. Februarii .* Theganus ejus temporis teſtis de ejuſdem ſepultura hæc addit : *Corpus ejus aromatizatum eſt , & in ſede aurea* (1) *ſedens poſitum eſt in curvatura ſepulchri , enſe aureo accinctus , Evangelium aureum tenens in manibus , & genibus , reclinatis humeris in cathedra , & capite honeſte erecto , ligato aurea catena ad diadema , & in diademate ſignum ſanctæ Crucis poſitum eſt : & repleverunt ſepulcrum ejus aromatibus , pigmentis , & balſamo , & muſco , & theſauris multis in auro . Veſtitum eſt corpus ejus veſtimentis Imperialibus , pera peregrinalis aurea poſita eſt , quam Romam portare ſolitus erat : ſceptrum autem , & ſcutum aureum , quod Leo Papa conſecraverat ante eum poſita ſunt dependentia . Et clauſum , & ſigillatum eſt ſepulcrum ejus .*

Non ſunt prætereunda , quæ Eginhardus poſt Caroli obitum ſubjungit ; antequam is decederet , nonnulla portenta deſcribens : *Erat* (inquit) *in eadem baſilica in margine coronæ , quæ inter ſuperiores , & inferiores arcus interiorem aedis partem ambiebat , epigramma ſynopide ſcriptum , continens quis author eſſet ejuſdem templi , cujus in extremo verſu legebatur*

(1) *In ſede aurea ſedens* : exemplo videlicet deſumpto a Galliæ Placidiae ſepulcro , in quo Ravennæ in eccleſia SS. Nazarii & Celſi cadaver illius Auguſtæ non , ut in more eſt , ſtratum atque reſupinum in eo tumulo conditum fuit , ſed in pulcherri ma ſede cypreſſina, tanquam ſederit. Idem mos obtinuit in Syria, ubi patriarchæ & epiſcopi ſedentes in ſede ſepeliri ſolent .

PRINCEPS(1)*CAROLUS. Notatum eſt a quibuſdam, eodem quo deceſſit anno, paucis ante mortem menſibus, eas, quæ Princeps exprimebant, litteras ita eſſe deletas, ut penitus non apparerent.* Quod argumento eſt, eam baſilicam a Carolo adhuc Principe, ideſt Francorum Rege, & nondum Italiæ Rege, aut Imperatore fuiſſe conditam. Poſt obitum Caroli acta eſt, inquit Eginhardus, quum idem Carolus annis tribus antequam decederet, ideſt anno Chriſti 811. regni ejus in Francia XLIII., & in Italia XXXVI. Imperii autem XI. Indictione IV. fecerat deſcriptionem atque diviſionem theſaurorum, pecuniæ, veſtium, cæteræque ſupellectilis, conteſtatus amicos, & miniſtros ſuos, ut poſt obitum ſuum per illorum ſuffragium rata, & firma permaneret: In ea deſcriptione hæc ſunt notanda: *Capellam, ideſt eccleſiaſticum miniſterium, tam id quod ipſe fecit atque congregavit, quam quod ei ex paterna hereditate provenit, ut integrum eſſet, neque ulla diviſione ſcinderetur, ordinavit; ſi qua autem invenirentur aut vaſa, aut libri, aut alia ornamenta, quæ liquido conſtaret eidem Capellæ ab eo collata non fuiſſe, hæc qui habere vellet, dato juſtæ æſtimationis pretio emeret, & haberet. Similiter, & de libris, quorum magnam in bibliotheca ſua copiam congregavit, ſtatuit, ut ab iis, qui eos habere vellent, juſto pretio redimerentur: pretium in pauperes erogaretur. Inter ceteros theſauros, atque pecuniam tres menſas argenteas, & auream unam præcipuæ magnitudinis & ponderis eſſe conſtat; de quibus ſtatuit, atque decrevit, ut una ex iis, quæ forma quadrangula deſcriptionem urbis Conſtantinopolitanæ continet, inter cetera dona, quæ ad hoc deputata ſunt, Romam ad baſilicam B. Petri*

(1) Ciampinus pag. 136. *Pendet adhuc e ſummo templi umbilico vaſta corona, non ex auro, ut vulgus autumat, laborata; vetus illi fuerat metalli color, & genus etiam, ſi famæ credimus, nunc vero corona aerea eſt, vel ferrea, ut nuperrimus Scriptor teſtis oculatus affirmat....* De iſta ni fallor loquutus eſt ſæpememoratus Eginhardus ....: *Erat in eadem baſilica in margine coronæ &c.* At ferrea illa corona nil aliud deſignat quam morem coronandi Imperatores electos in urbe Aquiſgrano. Spiegelius not. in Guntheri Ligurinum pag. 290. ter Cæſarem redimiri diademate tradunt enarratores Pontificii Juris. Primum Aquiſgrani ferreo, quo Francorum, hodie Germanorum Rex deſignatur, deinde Medocii (Modoen) oppido Longobardiæ in æde Divi Joannis Baptiſtæ itidem ferreo diademate, poſtremo Romæ a Pontifice maximo corona aurea cingi, qua tum demum omnium Chriſtianorum Imperator, & Romanorum Princeps pronunciatur.

B. Petri Apoſtoli deſeratur: & altera, quæ forma rotunda Romanæ urbis effigie inſignita eſt, epiſcopo Ravennatenſis Eccleſiæ conferatur: tertiam, quæ ceteris, & operis pulchritudine, & ponderis gravitate multum excellit, quæ ex tribus orbibus connexa totius Mundi deſcriptionem ſubtili, ac minuta figuratione complectitur: & auream illam, quæ quarta eſſe dicta eſt, in tertiæ illius, & inter heredis ſuos, atque in eleemoſinam dividendæ partis augmentum eſſe conſtituit. Subſcripſere hanc diviſionem epiſcopi XI. abbates IV. Comites XV. Ludovicus filius ejus, qui ei ſucceſſit inſpecto eodem breviario quamcelerrime poterat poſt ejus obitum adimplere curavit.

Nunc ad baſilicam Aquiſgranenſem devenio. Eam Ciampinus par. 2. Veter. monim. pag. 134. prout a D. Vvanderlingen ejuſdem eccleſiæ decano non ſolum muſivi operis exemplar, verùm etiam nonnullas ad eamdem eccleſiam ſpectantes notitias accepiſſe ſe teſtatur, ita deſcribit: *Hæc* (1) *octogonalis eſt, illamque formant per gyrum diſpoſitæ ſub medio templi fornice illum fulcientes columnæ, quæ quum variegatis marmoribus conſtent, eam addunt venuſtati conſiſtentiam, ut choros penſiles incumbere ſibi patiantur. Spatium areæ inter columnas, & parietes jacens ambularium quoddam videtur referre, in quo locis congruis diſpoſita aſſurgunt altaria; ſuis autem aris non deſtituitur etiam ſuperior chorus, quem penſilis nomine memoravimus. Columnarum ordo Corinthius eſt, baſibus, & capitulis decenter ornatus. Portæ utrinque laterales, & tertia, quæ magna dicitur, medio loco ſita majeſtatem quamdam, & commodum populo frequentiori conciliant. Tholum etiam, ſive ut noſtris placuit, trullum in eodem templo conſpicuum columnæ ſuſtinent. Depreſſior illi concameratio contigit muſivi operis beneficio cœlum aureum repræſentans, ut in annexa tab. XLI. rubris ſyderum imaginibus interpunctum.* Media inter hæc ſydera pro chori conſpectu cernitur Chriſtus Dominus ſolio inſidens, aureo crucigero diademate

 coro-

(1) *Rotundam* vocat pſeudo-turpinus De geſtis Caroli M. cap. 32. *Apud Aquiſgranum in B. Mariæ Baſilica Rotunda, quam ipſe ædificaverat, honorifice illam ſepultum fuiſſe*. Ubi non pauca ex Eginhardo mutuatur; ſed fabulatori illi nulla eſt fides adhibenda.

coronatus, barba brevi, oblongis ad humeros uſque capillis: ſiniſtra librum clauſum tenet, dextera compoſitis duobus poſtremis digitis, & pollice cum duobus ſequentibus explicato benedicit. Univerſum corpus talaris obtegit tunica, cui paludamentum rubei coloris ſuperimponitur, gemmea fibula apte connexum. Adſtant ad dexteram, & ſiniſtram duo angeli apertum volumen exhibentes, & Regis ſui humeros ſtipantes. E tholi centro erumpunt radii luminis in morem, qui ſe circum caput Chriſti diffundunt. Circa thronum locatur ſphæra ſeu globus coloribus quinque diſtinctus, quorum primus, throno propior, eſt albiculus, ſecundus venetus, tertius thalaſſinus, quartus violaceus, quintus janthinus. Sphæram ſeu globum circumambit iris, quæ uſque ad infimam partem demittitur. Sub Chriſti pedibus in zophoro circa trullum ſeptem viri candidis tunica & pallio induti, capillis Nazaraeorum in morem ad humeros demiſſis, barbati, ſedibus relictis ſtantes, coronas aureas manibus præferunt. Infra monogramma ✠ Chriſti. Hoc ſymbolo, ut recte notat Ciampinus, illud repræſentatur myſterium, de quo in Apocalypſi cap. 4. *Sedes poſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens, & qui ſedebat ſimilis erat aſpectui lapidis iaſpidis & ſardinis: & iris erat in circuitu ſedis ſimilis viſioni ſmaragdinæ, & in circuitu ſedis ſedilia vigintiquatuor, & ſupra thronos vigintiquatuor ſeniores ſedentes circumamicti veſtimentis albis: & in capitibus eorum coronæ aureæ*. Et poſt pauca: *Et procedebant ante thronum, & adorabant viventem in ſecula ſeculorum, & mittebant coronas ſuas ante thronum &c.* Cur autem tabula hæc ſeptem tantum exprimat ſenes, & non vigintiquatuor, cauſa eſt quia pictor illos in gyrum diſpoſitos delineare minime potuit. Sicut autem pro 24. alicubi ponuntur 12. ſenes, ita & pro 12. hic ſeptem depinguntur. *Fecit, quod eſſent duodecim* (inquit Zacharias epiſcopus Chryſopolitanus libr. 5. cap. 22.) *ut quadratum orbem Fide ſanctæ Trinitatis inſignirent, & ſalutem, quam prædicarent, ſuo quoque numero commendarent. Sicut enim ſeptenario, ſic & duodenario numero ſignatur perfectio propter partes ſeptenarii, quæ in ſe multiplicatæ reddunt duodecim.*

Tria

Tria enim, & quatuor ſunt ſeptem, ter autem quatuor dodecim.

Si muſiva baſilicæ Aquiſgranenſis bene conſiderentur, nihil omnino differre videbuntur ab iis, quæ ſub Paſchale I. Papa circa annum 818. in eccleſia ſanctæ Praxedis in arcu triumphali poſita a Ciampino repræſentantur par. 2. Veter. monim. cap. 25. tabula XLVI. pag. 147. Ibi vigintiquatuor ſeniores exhibentur ſtantes, veſtibus albis induti, oblongis capillis, barbati, coronas manibus offerentes: hinc videlicet XII. in tres quaternas turmas diviſi, inde alii XII. ſimiliter in tres alias quaternas turmas diſtincti, niſi quod in Aquiſgranenſi baſilica ſedibus relictis ſurgunt; in eccleſia verò ſanctæ Praxedis ſtantes ſine ſedibus pinguntur. Ceterum lineamenta utrobique videntur eſſe eadem, adeoque iidem muſivarii, qui a Carolo Magno adhibiti fuerant, a Paſchale Papa fuere fortaſſe ad exornandam s. Praxedis eccleſiam poſt aliquot annos invitati. Quemadmodum autem utrobique ex Apocalypſi cap. 4. deſumta eſt hiſtoria vigintiquatuor ſeniorum, ita longe ante Caroli Magni, & Paſchalis Papæ tempora idem myſterium muſivo opere repræſentatum ſuerat a s. Leone Papa I. in ſummo arcu baſilicæ ſancti Pauli extra Urbis mœnia, ut videre eſt in tab. LXVIII. apud Ciampinum par. 1. Veter. monim. cap. 24. pag. 230. niſi quod ibi duodecim ſeniores, qui ſtant a dextris Salvatoris omnes ſunt nudatis capitibus, promiſſis capillis, & barbati; duodecim verò alii, qui ſtant a ſiniſtris, barbati quidem ſunt, ſed capitibus velatis.

Quod vero ad ipſius Caroli Magni effigiem ſpectat, fateor, me nullam reperiiſſe alteri ſimilem, ſive Triclinium Leonianum, ſive muſivum s. Suſannæ comparemus cum diplomatibus a Mabillonio editis. Mabillonius De re diplomatica libr. 5. tab. 23. 24. 25. pag. 387. 389. 391. tria authographa Caroli Magni diplomata producit, in quibus figura ipſius Caroli in ſigillo eſt expreſſa. Primum diploma datum dicitur XIII. *Kal. Novembris anno V. Regni noſtri. Actum Hariſtalio palatio publico in Dei nomine feliciter.* Alterum *datum in menſe Octobr. anno XIV. & VIII. Regni noſtri* *Actum*

Actum Hariſtalio palatio publico &c. Tertium *datum* VII. *Id. Maii anno Chriſto propitio Imperii noſtri XIII. Regni vero in Francia XLV. atque in Italia XXXIX. indictione* VI. *Actum Aquiſgrani palatio Regio in Dei nomine feliciter Amen.* Ac proinde hoc poſtremum diploma datum fuerit, oportet anno Chriſti 813. qui erat Imperii Caroli XIII. Regni ejus in Francia XLV. & in Italia XXXIX. Secundum vero anno Chr. 781. vel 782. qui erat Regni ejus in Francia XIV. & Italia VIII. (1) Primum autem anno Chr. 772. qui erat Regni ejus in Francia V. inchoatus poſt VII. Idus Octobris illius anni 772. Itaque quum datum eſt primum diploma, anno videlicet Chr. 772. annum ætatis agebat Carolus Magnus trigeſimum: quum ſecundum diploma, anno videlicet 781. vel 782, quadrageſimum: quum tertium diploma, anno nimirum 813. ſeptuageſimum primum; mortuus eſt enim Carolus anno 814., ætatis ſeptuageſimoſecundo, ut ex ſupradictis conſtat. At qui tam in primo, quam in ſecundo, & tertio diplomate effigies Caroli ita uti a Mobillonio edita eſt, una eademque prorſus cernitur, barbatus nimirum, capite nudo, capillis brevibus, paludatus more ſenatorio cum orbiculari hac epigraphe ✠ XPE *protege Carolum Rege: Francor.* Ideſt Chriſte protege Carolum Regem Francorum. Inveriſimile autem eſt, illum eodem ſigillo figuram ſuam exprimente uſum fuiſſe anno ætatis trigeſimo, quadrageſimo, & ſeptuageſimo primo: & adhuc magis inveriſimile videtur eumdem anno ætatis trigeſimo ſic barbatum fuiſſe, ſicuti in eo ſigillo cernitur. Atque hæc dicta ſunt comparando invicem ipſa Mabillonii diplomata; qui fortaſſe hanc difficultatem ſubodoratus, fatetur in primo diplomate ſigillum defuiſſe, illudque ex aliis diplomatibus ſe ſuppleviſſe: *Duo priora* (inquit libr. cit. pag. 388. in not. 3. ad tab. XXIII.) *ſpecimina expreſſa ſunt ex authographis Dionyſianis, hoc vero ex noſtro Germanenſi*; & paulo poſt: *Caroli Magni ſigillum, quod authographo Germanenſi deeſt, ex Dionyſianis ſupplevimus.* Sed adhuc difficultas remanet in ſigillis duorum aliorum diplomatum, quorum unum

(1) Incertum enim an datum ſit id diploma ante an poſt vidus II. Octobris.

unum datum dicitur anno ætatis Caroli quadrageſimo, & alterum anno ſeptuageſimoprimo; quomodo enim una eademque Caroli effigies quadrageſimum annum, & ſeptuageſimumprimum agentis? Ab hac etiam difficultate vir doctus ſeſe expedire tentat, dum ſcribit pag. 390. in not. ad tab. XXV. *In multis, quæ in manus noſtras pervenerunt, Caroli Magni diplomatibus pauca admodum ab ipſo Imperatore condita videre nobis licuit, nullum, quod ejuſdem Imperatoris ſigillum integrum habeat.* Unde ergo ipſe Mabillonius ſigillum integrum cum effigie, & epigraphe hauſit? Audi eumdem ſic proſequentem: *Hoc verò ſpecimen* (tertium nempe diploma cum ſigillo effigiem non epigraphen habente) *cujus integrum ſigillum damus* (1) *in libr. VI. ex autographo Corbejæ Saxonicæ noſter Adolphus Overhamus mihi tranſmiſit cum ſigillo picto quale hic repræſentamus.* Igitur valde dubito, quin hæc omnia Caroli Magni ſigilla aut ſint ex ſigillis ſequentium Imperatorum deſcripta, aut ex autographo ipſius Caroli ſigillo non recte delineata. Qui enim fieri poteſt, ut Carolus anno ætatis trigeſimo, quum adhuc Rex Francorum tantummodo eſſet, & anno quadrageſimo quum Rex Francorum, & Longobardorum diceretur, more Romanorum Imperatorum protomen ſuam pingi juſſerit cum paludamento Imperiali, qui nondum Imperator inunctus fuerat (inunctus enim eſt Imperator exeunte anno Chr. 800. in natali Domini, quum annum ætatis ageret 58.) quomodo Romano more indutum ſe ipſum in ſigillo depingi permiſit, qui habitu Francico ſemper uſus eſt, teſte Eginhardo, cujus verba hæc ſunt: *Veſtitu patrio, hoc eſt Francico utebatur; ad corpus camiſiam lineam, & feminalibus lineis induebatur, deinde tunicam, quæ limbo ſerico ambiebatur, & tibialia: tum faſciolis crura, & pedes calciamentis conſtringebat, & ex pellibus lutrinis thorace confecto humeros ſemper accinctus, cujus capulus & baltheus aut aureus, aut argenteus erat: aliquoties & gemmato enſe utebatur, quod tamen nonniſi in præcipuis ſolemnitatibus, vel ſi quando exterarum*

(1) Libr. 6. pag. 152. & ſequ. diploma integrum profert Mabillonius, ſed ſine ſigillo. Hic verò pag. 391. pauca ex eo diplomate recitat, ſed cum ſigillo.

rum gentium Legati ueniſſent, faciebat. Peregrina verò indumenta, quamvis pulcherrima, reſpuebat, nec unquam eis indui patiebatur, excepto quod Romæ ſemel Adriano Pontifice petente, & iterum Leone ſucceſſore ejus ſupplicante. Longa tunica & chlamide amictus, & calceis Romano more formatis induebatur. In ſolemnitatibus veſte auro texta, & calciamentis gemmatis, & fibula aurea ſagum aſtringente, diademate quoque & auro, & gemmis ornatus incedebat: aliis autem diebus habitus ejus parum a communi, ac plebejo abhorrebat. His Eginhardi verbis de habitu Caroli adjunge alia eiuſdem de figura corporis: *Corpore fuit amplo atque robuſto, ſtatura eminenti, quæ tamen juſtam non excederet, nam ſeptem ſuorum pedum proceritatem ejus conſtat habuiſſe menſuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus, ac vegetis, naſo paululum mediocritatem excedente, canitie pulchra, facie læta & hilari, unde formæ authoritas, ac dignitas tam ſtanti, quam ſedenti plurima inerat; quamquam cervix obeſa, & brevior, venterque projectior videretur, tamen hæc ceterorum membrorum celabat æqualitas: inceſſu firmo, totaque corporis habitudine virili.* Jam verò ſi quis Caroli figuram cogitatione exprimere ſic voluerit, uti ab Eginhardo deſcripta eſt, non parum aB effigie per Mabillonium delineata recedat oportet.

Alemannus in Parietinis Lateranenſibus pag. 70. Ciampinus par. 2. Veter. monim. cap. 21. pag. 128. Raſponus de baſil. Lateranenſi libr. 4. cap. 11. pag. 337. Severanus in libr. de VII. eccleſiis pag. 544. & Pagius in critica Anlium Baronii ad ann. 796. num. 8. dum Leonis III. Triclinium delineatum repræſentant, effigiem quoque Caroli Regis exhibent quoad habitum quidem uniformem, ſed quoad faciem paulo diverſam. Omnium autem accuratiſſime videtur depicta apud Alemannum, qui illam, Urbano VIII. Pontifice, a Franciſco Barberino ipſius ex fratre nepote ex veteri muſivo reſtitutam aeri diligentiſſime incidi curavit. Severanus eodem, quo Alemannus, aere uſus eſt. Ceteri non ex ipſo Lateranenſi muſivo delinearunt, ſed exemplo Alemanni uſi, in aliud aes incidi fecerunt, ac proinde non parum ab autographi fide receſſerunt. Hæc itaque eſt Caroli tam in Triclinio Leoniano, quam in muſivo

ſanctæ

ſanctæ Suſannæ per eumdem Alemannum Tab. 1. affabre delineato vera effigies. In triclinio quidem Carolus flexis genibus ad lævam s. Petri Apoſtoli, manu dextera accipit ab eo vexillum in ſummitate haſtam habens, & in medio ſex roſis, tribus hinc, & tribus inde, ornatum. Diadema quadratum gerit, & in capite coronam non quidem Imperatoriam, uti Alemannus autumat, ſed regiam Francorum, cujuſmodi fere eſt, quæ in diplomatibus Lotharii Regis Franciæ, Hugonis, Henrici, Philippi, aliorumque viſitur apud Mabillonium pag. 419. 421. 423. 425. Calcei, tibialia, tunica, ſagum, gladius ita ſe habent, uti ab Eginhardo ſupra deſcripta ſunt, uti etiam in muſivo ſanctæ Suſannæ tum apud Alemannum loco cit. tum apud Ciampinum par. 2. cap. 24. pag. 140. niſi quod in hoc s. Suſannæ muſivo ſtat Carolus dexteram verſus Pontificem Leonem extendens, ſiniſtra pectori admota. Non enim aſſentiri poſſum Alemanno cap. 13. pag. 78. & ſeq. ſcribenti, Carolum Imperatorem a Leone III. inunctum, habitu, ſi non toto, ſaltem corona, & paludamento Imperiali in Leoniano triclinio depictum eſſe, mento raſo, Romanorum Imperatorum ritu, vel detonſo. Verba ejus recito antequam meam hac de re ſententiam proferam: *Deinde Caroli ſimilitudinem tam expreſſam, tam veram, ac vivam exigimus a pictoribus, qui Carolo Imperatore, & Leone Pontifice, hoc eſt, ætate non adeo culta, ſolertique vixerunt? Idque in opere teſſellato?* Mox autorem illum, qui Turpini mentitus eſt nomen, Caroli ſpeciem, & habitum plane monſtroſum deſcribentem reiiciens, Eginhardi verba a nobis ſupra recitata producit, atque concludit: *Pene ad vivum expreſſa videmus omnia in hoc ſimulacro, alteroque illo, quod ex s. Suſannæ tribunali deſumtum ſupra ſecundo capite* (pag. 10.) *propoſuimus, in quo tamen corporis ſtatura, membrorumque amplitudo ac robur, ipſa corporis conſtitutione, ſituque magis magiſque prodatur, & appareat, caniciem, & ſi quid aliud eſt ultimæ ſenectutis indicium in imagine, primo ſtatim Imperii anno depicta, hoc eſt quarto & decimo ante diem Caroli vitæ ſupremum, fruſtra requiris. Barbam denique Turpinus, eſt ne autem quod de Caroli barba recte referre poſſit, qui omnia per-*

peram de facie narravit? Marcus Velſerus (apud Freherum de ſtatura Caroli Magni) *vir clariſſimus Carolum promiſiſſe barbam negavit, protulitque hoc Leonis emblema, & monetam, in qua Caroli effigies puro eſt mento. Proferimus nos idem illud eccleſiæ ſanctæ Suſannæ muſivum, proferimus Ingoberti, Caroli Imperatoris ſcribæ, tabulam, in qua herum ille ſuum mento raſo, Romanorum Imperatorum ritu, vel detonſo nobis exhibuit in fronte Bibliorum, quæ juſſu Caroli, Regio plane apparatu ſua ipſe manu exaravit, quod præter alia ſic præfatur:*

Hæc namque invenies præſenti paſcua libro,
Quem tibi, quemque tuis Rex Karolus ore ſerenus
Offert, Chriſte, tuuſque cliens, & corde fidelis.
Ejus ad Imperium devoti pectoris artus
Ingobertus eram referens, & ſcriba fidelis
Graphidas Auſonios aequans, ſuperanſque tenore.

Præſtat & imaginis deſcriptionem hic addere, quam Ingobertus in eodem Bibliorum codice, qui in ſacrario baſilicæ ſancti Pauli via Oſtienſi ſervatur, carmine ſic expreſſit:

Rex Cœli Dominus ſolita pietate redundans
Hunc Karolum Regem terræ dilexit herilem &c.

Quæ tamen imago non Caroli Magni eſt, ut falſo putat Alemannus, neque enim quidpiam ſimile habet cum ejus effigie, quæ extat ſive in triclinio Leoniano, ſive in eccleſia ſanctæ Suſannæ, ſed Caroli Calvi, ut ſuo loco demonſtrabimus. Pergit Alemannus pag. 80. *De veſtitu Caroli tertio loco obiciebatur, illum minime Imperatorium videri. Siquidem reliquum dicis veſtimenti ornatum, calceos, tibialia, tunicam, haud ego quidem negaverim; meminiſſe tamen oportet, non ex condicto, vel diu ante meditato apparatu celebratam Caroli inaugurationem fuiſſe, ſed inſcio, ac nihil tale opinanti Imperiale paludamentum a Leone injectum, & impoſitam capiti coronam. Subita hæc pompa, improviſumque ſpectaculum uno omnium Scriptorum narratur conſenſu. An eſt, qui tum veſte indutum non patria Carolum oſtendere poſſit? Qui exterorum ita reſpuiſſe dicitur amictum, ut vel Romanum Romæ a ſummis Pontificibus rogatus vix admitteret*. Citat hic Eginhardum de veſtitu patrio, hoc eſt Francico, quo Carolus utebatur: mox addit: *Quamobrem veſtis illa reliqua*

præter

præter paludamentum, & auguſtalem coronam, tota Francica eſt, & Carolo conſueta, ac familiaris. Iterum Eginhardi verba adhibet de patria Caroli veſte, tum pergit: *Vides hìc tunicam, prætextam quidem, non tamen talarem, qualem Romanorum Patriciorum fuiſſe oſtendimus: Carolumque adhuc Patricium, Leonis rogatu, induiſſe Eginhardus narravit. Crura præterea vides faſciolis involuta, quòd & in altera Caroli e templo s. Suſannæ deprompta imagine licet obſervare. Ex quo Eginhardi loco Pompeum Ugonium, & Angelum Maſſarellum errore lapſos facile intelligas, qui faſciolas, quum ex candore de armis acceperint, armatum Carolum ex his imaginibus nobis exhibuerunt. Sed hodieque tibialia ſub genu ne defluant, brevioribus faſciis nos aſtringimus, veteres longioribus, perpetuiſque a talis ad genua crura conveſtiebant: crurales eae faſciæ dicebantur. De Caroli Magni corona Eginhardus: Diademate, ait, ex auro & gemmis ornatus incedebat; ejus formam Ingobertus coloribus quidem delineavit, ſed hujus longe diſſimilem. Regum illa eſt nimirum propria, hæc Imperatoria, qualis inde a Leone Daco, aliiſque deinceps Auguſtis Illyriis inolevit, Macedonum ſcilicet cauſia, quam Regio diademate ornatam Athenaeus* (1) *dicit, Plutarchus* (2) *verò* Καυσίαν διαδηματηφόρον *appellat caſſidi perſimilem, ob eamque figuram* Καισαρίκων περικεφαλαίαν *galeam Cæſarianam* (3) *Theophanes vocat, quæ quum ſuperiore parte contecta ſit, Regnum epanocliſtum* (4) *a Bibliothecario nuncupatur. Ad idque coronæ genus alludit Sugerius,* (5) *ubi ſtemma Pontificum deſcribit: Phrygium ornamentum Imperiale inſtar galeæ circulo aureo concinnatum. Ejuſmodi videmus hìc Caroli diadema. Neque enim dubium eſt, Leonem III. coronam, qua Carolus donandus ac Cæſar deſignandus erat, talem plane curaviſſe, uti tùm erat mos, & ingenium, qualem ſcilicet ejus ſeculi, ac tempeſtatis Auguſtorum reddunt numiſmata, quæ omnium manibus teruntur, Leonis Iſauri, Conſtantini Copronymi, Leonis, qui proxime imperavit, Conſtantini Irenæ filii, Nicephori Logothetæ, & Michaelis Rangabis,*

(1) Dipnos. libr. 12.
(2) In Anton.
(3) In Chron.
(4) In vita Pontific. paſſim.
(5) In vita Ludovici Craſſi.

bis, quorum coronæ forma, cum hac, ſi conferantur, tam conſimilis eſt quam eſſe poteſt. Hactenus Alemannus. Jam verò ſingula expendamus non animo contradicendi, ſed ut veritas magis elucefcat. Duo hìc ab Alemanno afferuntur, quæ probare nequeo. Primum contendit in Triclinio Leoniano repræſentari Carolum a Leone III. Imperatorem creatum, neque hoc primus omnium Alemannus affirmat: multi ante ipſum viri graviſſimi muſivum Triclinii Leoniani contemplantes in eadem fuere ſententia. Ex his Marcus Vvelſerus, quum anno circiter 1585. Romæ, ſapientum hominum more, peregrinaretur, ita oculis ac animo id muſivum perluſtrare ſolebat, ut exemplum ſumma diligentia, ac fide ſibi deſcribendum curaverit, doctiſque viris paſſim ejus videndi copiam fecerit. Vidit præter alios Jacobus Gretſerus, qui libr. 2. de Cruce cap. 39. *Romæ*, ait, *in aula Leoniana extat ex opere vermiculato imago ſancti Petri, pallium tribuens Leoni III. Pontifici, & Imperium Carolo Magno. Sedet ſanctus Petrus in ſolio, dextra dat Leoni orarium, ſiniſtra porrigit vexillum Carolo genibus flexo, inſigne Imperii; ipſe quoque ſanctus Petrus orarium habet. Has imagines bona fide ex archetypo expreſſas videmus beneficio Marci Velſeri IIviri Auguſtani*. Ita poſt Gretſerum Alemannus arbitratur præfatas imagines depictas non fuiſſe antequam Leo ſedi ſuæ ope Caroli reſtitueretur, & hic Auguſtus nuncuparetur; vexillum autem illud denotare Imperium a Leone anno DCCC. Carolo Regi datum. Verùm Pagius in Critica Baronii ad ann. Chr. 796. Leonis III. Papæ a num. 3. demonſtrat eam Triclinii Leoniani picturam & anno Chr. 796. factam fuiſſe, & repræſentari vexillum a Leone Papa eo anno ad Carolum Francorum Regem tanquam Romanorum Patricium miſſum. Primam partem ſic oſtendit. Anaſtaſius res a Leone Papa geſtas tam in baſilica Vaticana, quam in aliis eccleſiis ſervato ordinis tempore deſcribens, quum de iis loquitur, quæ ab eo præſtita ſunt antequam Romani in eum ſævirent, quod anno 799. contigit, ait: *Fecit & in patriarchio Lateranenſi Triclinium majus ſuper omnia triclinia nominis ſui magnitudine decoratum, ponens in eo fundamenta firmiſſima, & in circuitu lami-*

laminis marmoreis ornavit, atque marmoribus in exemplis ſtravit. & diverſis columnis tam porphyreticis, quamque albis & ſculptis cum vaſis & liliis ſimul poſitis decoravit. Cameram cum abſida de muſivo, & alias duas abſidas diverſas hiſtorias pingens, marmorum incruſtatione pariter in circuitu decoravit. Ex hoc Anaſtaſii teſtimonio patet, Triclinium illud non ſolum ædificatum fuiſſe primis Pontificatus Leonis Papæ temporibus, ſed etiam muſivo decoratam ipſius abſidam, idque ſaltem antequam, Romanis in eum ſævientibus, ipſe Leo Papa fugere ad Carolum coactus eſſet, ideſt ante annum 799. ac proinde antequam Carolum Imperatorem inungeret, quod exeunte anno 800. contigit. Alteram partem Pagius num. 3. ineluctabili argumento demonſtrat; Carolus, inquit, uno eodemque tempore & Hadriani Papæ mortis, & Leonis III. electionis nuncium accepit, ut demonſtrat ejuſdem Caroli ad Leonem epiſtola, quæ eſt ordine 84. inter epiſtolas Alcuini. Ex ea etiam intelligimus Leonem III. ubi Pontificatum ſuſcepit, certiorem ea de re reddidiſſe Carolum, huncque de Angilberto Romam cum muneribus ad Hadrianum mittendo cogitaſſe, quum lugubri mortis ejus nuncio repente tardatum eſt iter illius. Subdit Carolus: *Sed modo lætiores de veſtra ſanctitatis ſucceſſione facti, quod deſideravimus in illo pio Patre agere, in vobis perficere ſtudemus, illique omnia injunximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis neceſſaria eſſe videbantur, ut ex conlatione mutua conferatis quidquid ad exaltationem ſanctæ Dei Eccleſiæ, vel ad ſtabilitatem honoris veſtri, vel* PATRICIATUS *noſtri firmitatem neceſſarium intelligeretis. Sicut enim cum beatiſſimo prædeceſſore veſtræ ſanctæ Paternitatis pactum inii, ſic cum beatitudine veſtra ejuſdem fidei, & caritatis inviolabile fœdus ſtatuere deſidero. Quatenus Apoſtolicæ ſanctitatis veſtræ, divina donante gratia, Sanctorum advocata precibus, me ubique Apoſtolica benedictio conſequatur, & ſanctiſſima Romanæ Eccleſiæ ſedes, Deo donante, noſtra ſemper devotione defendatur. Noſtrum eſt, ſecundum auxilium divinæ pietatis, ſanctam ubique Chriſti Eccleſiam ab incurſu paganorum, & ab infidelium devaſtatione armis defendere foris, & intus catholicæ Fidei agnitione munire*. Ex his Caroli literis

ris liquet primò Pontifices Romanos poſt ſuam ordinationem Legatos ad Francorum Reges, tanquam ad Romanorum Patricios, ac defenſores miſiſſe. Secundo, Carolum a Leone III. per Angilbertum Legatum ſuum poſtulaſſe, ut Patriciatum ſuum confirmaret, quo Eccleſiam ab incurſu paganorum armis defendere poſſet, & Chriſtianos in catholicæ Fidei communione continere. Tertiò, vexillum Romanæ urbis a Leone Papa ad eum miſſum, & ſubjectionem Romanorum per ſacramenta firmatam, demonſtrare, Carolum, quæ per Angilbertum Legatum ſuum petierat, a Pontifice obtinuiſſe. Eginhardus in Annal. hæc de Legatione Leonis Papæ ad Carolum ſcribit: *Leo per Legatos ſuos claves confeſſionis s. Petri, ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus Regi miſit, rogavitque, ut aliquem de ſuis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad ſuam fidem, atque ſubjectionem per ſacramenta firmaret. Miſſus eſt ad hoc Engilbertus abbas monaſterii ſancti Richarii, per quem etiam tunc ad ſanctum Petrum magnam partem theſauri, quam Ericus Dux Forojulienſis, ſpoliata Hunnorum Regia, quæ Ringus vocabatur, eodem anno de Pannonia Regi detulerat, miſit; reliquum verò inter optimates, & aulicos, ceteroſque in palatio ſuo militantes liberali manu diſtribuit.* Eſt hæc ſecunda (ut pergit obſervare Pagius) Angilberti ad Leonem III. Legatio, uno eodemque anno ac prior obita. Leonem verò vexillum urbis Romanæ Carolo tranſmiſiſſe ſcribunt etiam Annaliſtæ Loiſelianus, Tilianus, Bertinianus, & Metenſis, ac Rhegino in chronico, incertus Auctor, & monachus Engoliſmenſis, uterque in vita Caroli. Hactenus Pagius. Conſtat itaque, quo anno Leo III. Pontificatum iniit, hoc eſt, 796. eum accepiſſe a Carolo tunc Francorum Rege litteras, quibus eum rogabat: *ut ex conlatione mutua ſibi conferret quidquid ad exaltationem ſanctæ Dei Eccleſiæ, vel ad ſtabilitatem honoris ipſius Pontificis, vel Patriciatus ſui firmitatem neceſſarium intelligeret.* Sicut enim cum prædeceſſore ipſius Hadriano pactum idem Carolus inierat, ſic cum Leone Papa ejuſdem fidei, & caritatis inviolabile fœdus ſtatuere deſiderabat. Quemadmodum autem Hadrianus Papa vexillum Carolo Regi deferren-

rendum voluerat, poſtquam in s. Petri ſede collocatus fuit uti Pagius ad ann. 774. num. 4. factum anno 772. oſtendit ex hiſce in appendice antiquarum lectionum pag. 1163. inſignis inſcriptionis verſibus:

Cœlorum Dominus, qui cum Patre condidit Orbem,
Diſponit terras virgine natus homo.
Utque ſacerdotum, regumque eſt ſtirpe creatus,
Providus huic Mundo, curat utrumque geri.
Tradit oves Fidei Petro paſtore regendas,
Quas vice Hadriano crederet ille ſua.
Quin & Romanum largitur in urbe fideli
Vexillum famulis, qui placuere ſibi.
Quod Carolus mire præcellentiſſimus hic Rex
Suſcipiet, dextra glorificante Petri &c.

Ubi in octavo verſu locum vacuum, in quo Auctor appendicis *Pontificatum*, & Papebrochius in Conatu chronico-hiſtorico ad vitam Hadriani I. *Imperium* poſuerat, ipſe Pagius recte implendum monet *Vexillum*: Ita & Leo III. ubi Pontificatus ſuſcepit: *mox per Legatos ſuos claves Confeſſionis s. Petri, ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus eidem Carolo Regi miſit, Patriciatum ei confirmans*. Huc igitur reſpexit Leo dum in Triclinio ſui nominis muſivo opere depingendum curavit, hinc Chriſtum Dominum Silveſtro Papæ pallium, & Conſtantino Imperatori vexillum porrigentem, inde ſanctum Petrum Apoſtolum Leoni ipſi pallium, ideſt Pontificatum, & Carolo Regi vexillum tradentem, per hoc enim poſteris notum eſſe voluit, ſe Carolum Eccleſiæ Romanæ defenſorem conſtituiſſe, eamque ob rem illi ſancti Petri vexillum miſiſſe, ac Romanos ei vitam, & victoriam adprecatos eſſe, ut alias factum anno 774. cum eodem Carolus, quando cum laudibus Romæ exceptus fuit ſub Hadriano Papa, Anaſtaſio teſte, his verbis: *Dum Romæ Carolus eſſet ſecunda feria* (Paſchatis ſcilicet) *ſimili modo in eccleſia B. Petri more ſolito ipſe conſpicuus Pater, & egregius Pontifex miſſarum ſolemnia celebrans, Deo omnipotenti, & præfato Carolo excellentiſſimo Regi Francorum,*

& Pa-

& Patricio Romanorum laudes reddere fecit . Laudes enim non aliud ſignificant, quam acclamationes fieri ſolitas quando Imperatores Romani creabantur, aut imagines eorum in provincias deferebantur, quod innumeris exemplis oſtendi poſſet; ſed hoc Pauli Diaconi teſtimonio contenti ſumus, qui libr. 3. de hiſt. Longobard. cap. 15. de inauguratione Mauricii loquens ait: *Mauricius indutus purpura, redimitus diademate, ad circum proceſſit, acclamatiſque ſibi laudibus, largitus populo munera, primus ex Græcorum genere in Imperio confirmatus eſt*. Quibus autem conceptis verbis laudes illæ acclamarentur, indicatur initio libri XI. Epiſtolarum Gregorii Magni: *Venit icona ſupradictorum Phocæ, & Leontiæ Auguſtorum Romam VII. Kalendas Maii, & acclamatum eſt iis in Lateranis in baſilica Julii ab omni Clero, & Senatu: Exaudi, Chriſte: Phocæ Auguſto, & Leontiæ Auguſtæ vita. Tunc juſſit ipſam iconam Dominus beatiſſimus, & Apoſtolicus Gregorius Papa reponi in oratorio ſancti Cæſarii martyris intra palatium*. Erant itaque laudes iſtæ victoriæ vel vitæ diuturnioris adprecationes. Hinc in Triclinio Leoniano inſcriptiones, ad caput quidem Leonis Papæ: *Sanctiſſimus D. N. Leo Papa*. Ad caput verò Caroli *D. N. Carulo Regi* ſub pedibus utriuſque, & s. Petri: *Beate Petre, dona vita Leoni PP. & bictoriam Carulo Regi dona*. Ubi Carolus Rex dicitur, quia erat Francorum Rex, & Longobardorum; appellatur autem *Dominus noſter* quia Romanorum Patricius, & Romanæ Eccleſiæ defenſor.

Alterum, quod Alemannus aſſerit, eſt paludamentum, quo Caroli effigies in triclinio Leoniano induta depingitur, Imperatorium eſſe, non Regium, item coronam capitis non eſſe Francicam, ſed Imperialem. Utrumque falſum. Totus quantus eſt Caroli in muſivo Leoniano habitus Francicus eſt, qualem Eginhardus deſcribit, ab Imperiali longe diverſus, neque ſolum habitus, ſed paludamentum etiam, & corona; nam paludamentum Imperiale ad talos uſque demittitur, hoc autem Caroli uſque ad genua vix deſcendit, quemadmodum apud Alemannum ipſum tam in hac Caroli imagine, quam in alia s. Suſannæ, quam Tab. 1. exhibet, cernere eſt. Eſt proinde ipſiſſimum ſagum,

gum, de quo Eginhardus: *Sago Veneto amictus, & gladio ſemper accinctus*; & infra: *In ſolemnioribus veſte auro texta, & calceamentis gemmatis, & fibula aurea ſagum aſtringente*. Corona quoque, qua Carolus in Triclinio Leoniano, & in eccleſia s. Suſannae uſus depingitur, non modo Francica eſt, quia ibi depictus Carolus, quum adhuc Rex eſſet, & antequam Imperator inungeretur, uti ſupra demonſtravi; verum etiam quia ab Imperiali diademate eſt valde diſſimilis; quemadmodum conferenti iſtud Caroli diadema cum coronis, quibus uſi Imperatores Occidentis, & Orientis uſque ad Caroli ipſius tempora patet. Unde miror Alemanni, viri ceteroqui doctiſſimi, confidentiam, ſcribentis: *Talem plane eſſe Caroli Magni in muſivo Leoniano coronam, qualem ejus ſeculi, ac tempeſtatis Auguſtorum reddunt numiſmata, quæ omnium manibus teruntur, Leonis Iſauri, Conſtantini Copronymi, Leonis, qui proxime imperavit, Conſtantini Irenæ filii, Nicephori Logothetæ, & Michaelis Rangabis, quorum coronæ forma cum hac, ſi conferantur, tam conſimilis eſt, quam eſſe poteſt*. Oculis hic opus eſt non argumentis. Cangius in familiis Auguſtis exhibet numiſmata pag. 122. edit. Pariſ. *Leonis Iſauri, Conſtantini Copronymi, Leonis Chazaci, & Conſtantini Irenæ*; pag. 127. *Nicephori, & Stauracii*; pag. 128. *Machaelis Rangabe*; pag 130. *Michaelis Balbi, Theophili, & Michaelis Ebrioſi*, nulla horum corona ſimilis eſt Carolinæ, niſi coronas omnes *epanocliſtas*, ideſt ſuperne clauſas, ſimiles dicamus; quod tamen idem eſſet, ac dicere; ſimiles omnes veſtes, quibus corpus tegitur, quomodocumque ſint factæ, & quacunque ex materia.

F I N I S.

INDEX RERUM

A

ACclamationes fieri ſolitæ in Regum coronatione. 50. 126. ac Imperatorum 158. laudum nomine indicantur. 200.
Acclamationes Papæ, & Imperatori. 71. a Leone III. conſtitutæ. 71.
Adoptionis exempla, cauſæ, & ritus. 62. 63.
Adorare Reges quid ſignificet. 49. varie Reges, & Imperatores adorabantur. 50.
Adrianus I. permittit Carolo Magno columnas marmoreas Romæ, ac Ravennæ deferre Aquiſgranum. 4. ejus monogramma ad s. Pudentianæ. 8. an facultatem conceſſerit Carolo Magno ordinare Romanam Sedem, & Pontificum electionem. 53. patriciatum confert Carolo M. 154. de ipſo epigramma. 159. cum diademate rotundo. 160.
Aedilium Levitarum Collegium. 69. 70.
Agatho Legatos miſit ad Conſtantinum Pogonatum. 72. dominium civile Urbis nondum obtinebat. 72.
Agnus aſſus a Cardinale juniore benedicitur. 130.
Alemannus Nicolaus Vaticanæ bibliothecæ præfectus. 118. 166. libros de antiquitatibus eccleſiaſticis ſcribebat. 36. 40. 43. Et de eccleſiaſtica prælactione. 45. 50. juſſu Cardinalis Barberini hanc Diſſertationem adornavit. 118. notatus. 153. 162. 163. 164. & ſeqq. 193. 194. 196. 200.
Albinus Flaccus Carolum Magnum hortatus eſt, ut Eccleſiæ diſſidia componeret. 30. Caroli Magni præceptor. 32.
Alexandri II. numiſma. 40.
s. Ambroſius Maximum tyrannum ab oſculo arcet, & cur. 50.
s. Anaſtaſiæ eccleſia a Leone III. ornata. 3.
Anaſtaſii IV. muſiva. 144.
Anaſtaſii bibliothecarii ſtylus vellicatur. 32.
s. Andreæ eccleſia ara majore ornatur a Leone III. 2.

Ange-

Angebertus Legatus miſſus a Carolo Magno ad Rom. Pontificem. 63. 94. 99.
Anſelmus quidam canones collegit. 76.
Antiquæ memoriæ qua ratione ſarciendæ pag. 2.
Αὐτοκράτορες *Imperatores a Græcis dicti*. 85.
Apoſtolorum habitus expenſus. 69.
Aquiſgrani baſilica a quo ædificata. 166. *& ſeqq. a quo conſecrata, & quando* 181. 182. *varia nomina*. 168. *in ea Imperatores coronantur*. 184. 186. *Aquiſgrani prima Franciæ Sedes*. 169. *baſilica deſcribitur*, 187.
Ara ad ss. monumenta tantum poſita. 35.

B

BAnda *quid ſignificet*. 155.
Baptiſterium Conſtantini Magni pag. 1. *ornatum ab Urbano VIII. egregiis picturis*. 141. *inſcriptiones in eo adpoſitæ*. 140. 141.
Barbaræ ſeu Cata-Barbaræ ecclеſia ſarcitur. 2.
Barberinus Cardinalis Franciſcus ſenior antiquitatum eccleſiaſticarum reſtautor pag. 124. *qua ratione uſus in illis reparandis*. 2. *Triclinium Leonianum inſcriptione ornavit*. 28. 29. *muſivi Leoniani gaphydem reperit*. 36. *inſcriptionem Leoniano Triclinio apponit*. 36. *deſcriptionem fieri juſſit*. 118. *laudatur*. 128. 149. 154.
Baronius Cardinals notatus. 9. 71. 95.
Βασιλεὺς *male* Imperator *interpretatur*. 85.
Baſilica V. Eccleſia.
Baſilica Lateranenſis reſtaurata. 1. 2.
Vaticana, & s. Pauli ornatæ a Leone III. 2.
Aquiſgranenſis V. Aquiſgranum.
Baſilica pro cœnatione uſurpatur. 11. *omnis ædificatio major* 11. *ſumitur pro janua gandiore*. 11.
s. Pauli terraemotu corruit. 2.
Liberiana dicta ad Praeſepe 2. *reſtaurata, & ornata*. 2. 8.
s. Stephani Cata-Gallæ a Leone III. extructa. 3.

ſ. Mariæ Aquiſgrani a Carolo Magno conſtructa, & ornata. 4.
ſ. Clementis. 8.
ſ. Laurentii in Laterano. 16. *ejus uſus.* 16.
ſ. Gregorii in Laterano veſtiarium fuit. 17.
ſ. Silveſtrii in Laterano: ex ea ſupplicationes prodibant. 17.
Baſilicae Vaticanae atrium quomodo nuncupatum. 56.
Lateranenſis eccleſia cur baſilica dicatur. 16. *& omnes ædes Lateranenſes.* 16. *&* 17.
Battutila quid eſſet. 136.
Baudrandus notatus. 168.
Bellarminus Cardinalis laudatus: 45. *notatus.* 95.
Benedictus XIV. Triclinium Leonianum reſtauravit. 152.
Biblia ſacra apud ſ. Pauli cœnobium ſervata, a quo fuerint conſcripta. 80.
Bibliorum codex antiquiſſimus ſ. Pauli via Oſtienſi. 80. 194.

C

CAmpuli conjuratio in Leonem III. 77. 118.
Canonum Collectio ab Anſelmo concinnata 76. *vel a Leone III.* 75. 76 *primum facta a Jo. patriarcha C. P.* 76. *Codex canonum in Vaticana-Palatina bibliotheca* 76.
Capitanei dicebantur Romani Patricii 66.
Cariziacum ubi ſitum 179. 180.
Caroli Calvi effigies 194.
Carolus M. Dominus noſter *dictus* 67. 68. *ei glorioſius nomen Regis, quam Imperatoris fuit* 86. 87. *ejus numiſmata* 79 *quamplurima nuper effoſſa* 87. *Imperium a Leone III. ſuſcepit* 88. 89. 90. *fidem dat ſummis Pontificibus non S. P. Q. R.* 93. *cur illi Imperium collatum* 113. *num baſilicae Aquiſgranenſis ædificator* 167. *pactum init cum Adriano Papa* 197. *Patriciatum petiit per Legatos* 63. 73. *Romam in tutela habuit* 73. 75. *ejus dictionem liberavit ab hoſtibus* 75. *ejus vera imago* 78. 79. 161. *ejus altitudo ex haſtili, quod adhuc extat* 78. *num barbam aluerit* 79. 80. *ejus veſtis genus expenditur* 80. 81. 124. 125. *ejus coro-*
na

na examini revocatur 81. 82. ei vexillum miſit Leo III. 84. 198. corona, & habitus 161. in Patriciatus dignitate confirmatur ab Adriano I. 158. an baſilicam Aquiſgranenſem condiderit 4. 168. 171. & ſeqq. an palatium Aquiſgranenſe 173. muſiva inquirit 175. Romam veniens quomodo exceptus 174. ubi ſepultus 184. 185. quomodo humatus 185. prodigia ejus mortem antevertunt 185. an domum Lateranenſem ædificaverit 2. 4. ejus pietas in Deum 4. Pipini filius 4. baſilicam Aquiſgrani quam magnificentiſſime ornavit 4. 186. marmora, & columnas Roma, & Ravenna advexit 4. 173. ejus ſacra ædificia Bononiæ 4. & Florentiæ, nempe eccleſia, ut fertur, ss. Apoſtolorum 4. maxime Vaticanam baſilicam colebat 5. quibus eam muneribus ditaverit 5. crucem auream in Laterano Leoni III. obtulit 5. tabulam argenteam baſilicæ Vaticanæ legavit ex teſtamento 5. Leonem III. in dignitatem reſtituit 10. hortatus ab Albino Flacco 30. 31. Patricius Romanus 32. 60. Albino Flacco præceptore uſus 32. ejus imago in Codice Ingoberti 43. Imperium ei defertur, & quibus cæremoniis 47. 55. 67. 68. Patricius tutelaris 60. 61. 75. patriciatum a Papa accepit 92. 93. Defenſor eccleſiæ 61. 75. & filius ſe appellat 61. ejus teſtamentaria diſpoſitio 186. ejus ſtatua 194. de ejus effigie diſputatio 189. 190. 191. de ejus veſtitu 67. 191. 192. 193. 194. 195. 200.

Carolus Andegavus ultimus Patricius Romanorum 66.

Caſa major a Cencio Camerario Triclinium Leonianum appellatur 130.

Caſula eadem ac planeta 39.

Chriſti effigies depicta Aquiſgrani 187. 188. ejus veſtis, & ornatus ibid.

Ciacconius Alfonſus notatus 5. 9.

Ciampinius notatus 139. 167. 181.

Claves omnium ſummorum Pontificum adpoſitæ imaginibus cernuntur 40. quot claves s. Petro tributæ, & cur 55. 56. quid tertia clavis ſignificet 90. Confeſſionis s. Petri ad Carolum M. miſſæ 94. 198. & quæ eſſent 95. 96. necnon ad Carolum Martellum 95. 96.

Clemens XII. porticum Lateranenſem magnificentiſſime conſtruxit 140.

Clo-

Clodoveus Rex an coronam Papæ donaverit 83. *s. Petro coronam miſit* 83. *Imperium ab Anaſtaſio ſuſcipit* 83. *Imperator honorarius* 84.

Codex Bibliorum antiquiſſimus apud s. Paulum 194.

Cœnas publicas Juſtinianus ſuſtulit 12. *Cœnæ quando fieri ſolitæ* 13. *Regibus, & principibus viris a ſummis Pontificibus paratæ* 13.

Cœnatio an Triclinium ſignificet 11. *Cœnationis, & Cœnaculi differentia* 22.

Collegium Levitarum ædilium 69. 70. *ejus munus* 69.

Columnæ albæ, quæ ſint 8.

Concha quid eſſet in Triclinio 12.

Conjuratio Campuli in Leonem III. 77.

Conradinus an ultimus Patricius Rom. 66.

Conſiſtorium in Triclinio Leoniano habitum 18.

Conſtantini Magni baptiſterium in Laterano pag. 1. 140. *in agro Verano, vel Seſſoriano ædificavit* 5. *Patricii Romani dignitatem ſtatuit* 58. *quid de ejus ſanctitate ſenſerint Græci* 43. *ejus imago orbiculari nimbo inſignita* 43. *Lateranenſem, & Vaticanam baſilicas condidit* 135. *an ejus imago in Triclinio Leoniano depicta* 153. *num inter ſanctos relatus* 164. *num Rex appellatus fuerit* 166.

Conſtantinopolitanæ urbis deſcriptio in tabula argentea delineata 5.

Conſulis dignitas idem ac patriciatus 96.

Convivia V. Cœnas. 130.

Corona regia, & Imperatoria varia & 8. 2. 161. *Papæ regnum appellatur* 83. *num ei a Clodoveo miſſa* 83. *Pontificia qualis antiquitus* 83. *quo tempore mutata* 83. *Francica* 161. 193. *epanocliſta, quæ ſit* 201.

Crucem auream Carolus Magnus in Laterano obtulit 5. *cui uſui eam deſtinaverit* 5. *gemmatam cum columbis Nicolaus IV. muſivo opere in tribuna Lateranenſi poſuit* 137.

D

Defenſor Eccleſiæ dictus Carolus Magnus, & alii 61, 62. *&c. idem ac Patricius* 64 *pacto ſe obſtringebat* 97.

Deſiderius Rex Longobardorum inimicus Eccleſiæ 98.

Dexte-

Dextera manus , vel dexter locus Romano more quis ſit 44.
Diadema V. Nimbus . Corona .
Dominus noſter *qui , & cur diceretur* , 68. 70. *Pontifex maximus ſic appellatur* 70. *quando proprio , ſummoque jure hanc appellationem ſuſceperit* 70.
Dyptica eccleſiaſtica ſervabant nomina epiſcoporum &c: 27. *aliquando hæc nomina ex eis abradebantur* 27.

E

Ecleſia V. Baſilica. Defonſor Eccleſiæ.
Eccleſia s. Andreæ Cata-Barbara a Leone III. reſtaurata 2.
s. Praxedis 8.
s. Anaſtaſiæ , s. Sabinæ , & ss. Felicis , & Adaucti a Leone III. ornatæ 3.
s. Suſannæ a Leone III. repoſita 4. 7. inter duas domos *dicta* 4.
ss. Nerei , & Achillei ab eodem Leone veteri dejecta iterum ædificata 4. 9. *in ea Gregorius Magnus homiliam habuit* 9. *in eccleſia s. Suſannæ imagines Leonis III. & Caroli Magni* 6. 44. *hujus eccleſiæ deſcriptio* 7.
s. Pudentianæ 8.
s. Cæciliæ 8.
s. Clementis 8.
ss. Nerei , & Achillei a Cardinale Mellino ſarta 10.
s. Marci , ibique inſcriptio poſita 28.
ss. Quatuor coronatorum 44.
s. Michaelis Ticini 45.
s. Petronillæ Pipini memoria conſecrata 100. *a Ludovico XI. inſtaurata* 100. *juſpatronatus ejuſdem Henrico IV. confirmatum* 100.
Eccleſia Romana dives facta 114.
Electio Pontificum V. Pontificum electio .
Epanocliſtæ coronæ quæ 201.
Epigramma de Adriano Papa 159.
Eugenius IV. ubi deſignaverit concilium cogere 19.
Eulogiæ ſeu benedictiones a s. Gregorio M. miſſæ 95:

Evangeliſtæ cum ſuis ſymbolis 142.
Exempla *imagines pictas aliquando ſignificat* 8.

F

F*Aſciæ crurales* 81.
s. Felicis, & Adaucti eccleſia a Leone III. ornata 3.
Fragmentum hiſtoricum anonymi apud Urſtiſium reiicitur ut fictum 182.
Francica corona, & habitus 161.

G

I*N Galliæ Patriciæ ſolo cœnobium, & baſilica a Leone III. conſtructa* 3.
Geographicis tabulis ornatur Triclinium Zachariæ Papæ 12. 30.
Giſla Caroli Magni ſoror 179. *abbatiſſa Calenſis* 179. 180. *Leonem III. adloquitur* 181.
Goldaſtus Melchior refellitur 54. 57. 60. 64. 92. 102.
Granus Neronis Imperatoris frater, & de eo fabulæ 168. *& ſeqq.* 182.
Græci cur Imperii dignitatem amiſerint 91.
Gregorius II. Imperium Leoni Iſauro ademit 95. 107. *ſenatum &c. ab juramento abſolvit* 107. *oratorium condit in Laterano* 147.
Gregorius III. opem poſtulat a Carolo Martello 95. *Præfecturam Urbis illi offert* 95.
Gregorio IV. inſcriptio poſita 28.

H

H*Abitus Apoſtolorum V.* Veſtis.
Hadrianus V. Adrianus.
Hilarus Papa tria oratoria conſtruxit 141. *inſcriptiones ab eo poſitæ* 140. 141.
Honorarii Imperatores quales 84.

I

Iconomachorum Imperatorum perfidia eos ab Imperio excluſſit 106.

Imagines Innocentii II. Paſchalis I. Gregorii Magni & IV. Johannis IV. Honorii I. Felicis IV. & s. Paulini Nolani 26. *aliquando ablatæ* 27. *vera Caroli Magni* 78. 79. *ſanctorum Petri, & Pauli* 6. *Imperatorum a Pontificibus una cum ſuis in ædificiis a ſe conſtructis collocatæ* 6. *Leonis III. & Caroli Magni in eccleſia s. Suſannæ* 6. *Leonis III. Triclinio appoſita non repugnat ejus modeſtiæ* 25. 26. *Johannis VII. nuper e Vaticano ſublata* 26. *imagines ſuas multi Pontifices fieri curarunt* 26.

Imperatores Orientis tributum ſummis Pontificibus ſolvere tenebantur 110. *Aquiſgrani coronantur* 184. 186.

Imperatores honorarii qui 84. *an Imperatoris nomen a regis diſtet* 85. *Imperatoris nomen invidia olim plenum* 85. *Imperatorum Iconomachorum impietas* 106. *&c. patriarchatum Conſtantinopolitanum amplificant* 109.

Imperii translatio Romano Pontifici aſſeritur 89. 90. 91. *Imperium cur a Græcis ablatum* 91. 128.

Imperium Romanum in Orientem, indeque in Occidentem transfertur hæretici a S. P. Q. R translatum falſo putant 50. *a Leone III. translatum* 51. *Imperium a Græcis ad Gallos translatum* 45. *Imperii deferendi variæ cæremoniæ* 47. *ad Germanos transfertur a Joh. XII.* 56. *Imperii translatio penes quem ſit* 88. *in Triclinio Leoniano depicta* 88.

Ingobertus auctor carminum in cod. Bibliorum apud s. Paulum 80. *Caroli Magni ſcriba* 79. 80. *cod. Bibliorum exaravit* 80.

Inſcriptio Triclinii, quam Pagius aliter ac Alemannus interpretatur 151. *BENEDICTI XIV. Triclinio adpoſita* 152 *de Adriano I. mittente vexillum Carolo Regi* 159. *hujus inſcriptionis interpretatio* 160. *Inſcriptio haſtilis Caroli Magni* 79. *tribunæ Lateranenſis* 137. 138. *antiquior deperdita forte a Sergio III. poſita* 139. *ſupra periſtylium Lateranum* 139. *in baptiſterio Conſtantini* 140. 141. 142. *Hilari Papæ* 140. 141.

141. *Johannis IV.* 147. *oratorii ss. Venantii, Anaſtaſii &c.* 143. *inſcriptiones imaginibus adpoſitae* 142. 146. 151. *Triclinii Lateranenſis* 6. 27. 29. 50. 122. 123. 129. *enarratur* 57. *&c. in æde s. Suſannæ* 7. *ss. quatuor Coronatorum* 9. *Gregorio IV. poſita ad s. Martini* 28. *a Paſchale II. poſita* 36. *a Cardinali Barberino poſita* 36. *&* 37. *Vaticanæ portæ* 41. *Tertulli Patricii* 59. *Ingoberti ſub imagine Caroli Magni* 43. *Mercurii Levitæ* 69. *Gregorii IV.* 71. *varie ſuppletur* 199.

Johannes IV. oratorium s. Venantii conſtruxit 142. *ejus imago* 146.

Joh. XII. Imperium tranſtulit ad Germanos 56.

Irene Auguſta Conſtantino filio viſum ademit 33. *ab ea repetit Adrianus I. quæ illa Eccleſiæ abſtulerat* 109.

Julius II. concilium coegit 19.

Junius Franciſcus notatus 57. 83. 89. 92. 100. 104.

Juramentum præſtabant Papæ Patricii & Defenſores Eccleſiæ 97. *&c. ejus formula* 102. 125. *Caroli M.* 102.

Juſtinianus Imp. cœnas publicas ſubſtulit 12.

L

L*Ateranenſis baſilica pag.* 1. *ejus patriarchium* 3. *ejus macrona* 2.

Lateranum ſedes Pontificum pag. 1. *monumentis eccleſiaſticis illuſtre Triclinium deſcriptum* 8. *ejus picturæ, a quo poſtremo viſæ* 8. *a quo ædificatum, & a quo reſtauratum* 10.

s. Laurentii ſacellum pag. 1.

Leo III. baſilicam Lateranenſem reſtaurat 2. *necnon Vaticanam* 2. *& s. Pauli via Oſtienſi* 2. *an domum Lateranenſem ædificaverit* 2. *quas ornaverit eccleſias, vel ſarcierit* 2. 3. 4. *Triclinium Lateranenſe, xenodochium, & noſcomium, & Triclinium in Vaticano conſtruxit* 3. 10. *& oratorium Lateranenſe* 3. *s. Suſannæ eccleſiam* 7. *a Carolo Magno in dignitatem reſtitutus* 10. 119. *duorum ejus Tricliniorum differentia* 21. *&* 22. *perſecutio contra eum exorta* 30. 31. 34. *eam negant hæretici* 31. *an fuerit excoecatus* 32. *Leoni lingua*

gua amputatur 33. ſermocinatoris appellatione donatus 33. pacificus, unde φιλανθρωπος dictus 34. ejus ſyngrapha 34. ejus laudes 34. 35. ad ejus monumentum ara poſita 35. quomodo ſe a calumniis purgaverit 53. 119. 120. a Clero in gradum reſtitutus 53. 119. in ejus funere luctus 74. nonnulla falſa de eo narrantur 178. 179. &c. Carolum Magnum convenit 175. 176. & ſeqq. baſilicam Aquiſgranenſem dedicavit 181. natalem diem cum Carolo Magno celebrat 182. claves confeſſionis s. Petri ad Carolum Magnum miſit 198. canonum collectionem adornavit 76. conjuratio in eum facta 77. 118. in Spoletanum agrum, dein in Galliam aufugit 77. Romam redivit 119. Imperium Carolo M. contulit 88. 89. 90. 120. an baſilicam Aquiſgranenſem conſecraverit 175. 176. &c. an s. Suvibertum ſanctorum albo adſcripſerit 176.

Leo IV. ædificia Lateranenſia conſervavit 2. an refecerit ss. Nerei, & Achillei baſilicam 9. ejus inſcriptio 9. Triclinium Lateranenſe reſtauravit 10. 15.

Leo Iſauricus a Fide defecit 70. 106. 107. ejus claſſis demergitur 70. ejus impietas eum ab Imperio depulit 107. tria ejus crimina 112.

Leonis Magni numiſma 40.

Levitarum ædilium Collegium 69. 70.

Lex Perſarum crudelis 33.

Liberius divitias Eccleſiæ Romanæ palam profeſſus eſt 114.

Litaniarum verſiculus immutatus 119.

Litteratæ veſtes 146.

s. Ludgeri epiſtola 177. an genuina 178.

Ludovicus junior Caroli Magni pronepos Imperium a Pontificibus acceptum teſtatur 90. 91.

M

MAcrona quid ſit pag. 19. 20. 149. a Leone III. reſtauratur 20.

Marcus Papa epiſcopo Oſtienſi poteſtatem dedit deferendi pallium, & cur 52.

Maſſarellus Angelus epiſcopus Theleſinus notatus 5. 52. 81. *laudatur* 36. 122. *ejuſdem ætas*, & *munera recenſentur* 36. 122.

Mellinus Cardinalis ss. Nerei, & *Achillei baſilicam reſtaurat* 9. *ejus modeſtia* 10.

Monogrammata Pontificum eorum ædificiis appoſita 8. *in monogrammate Chriſti nomen Papæ inſertum* 8. 121. & *cur* 9.

Mornaeus Philippus impugnatur pag. 31. 32. 53. 54. 55. 104.

Muſiva oratorii s. Jo. Baptiſtæ, quæ repræſentent 142. *Anaſtaſius IV. muſivis s. Venantii oratorium ornat* 144. *ea deſcribuntur diligenter* 145. *Triclinii Leoniani aliter enarrantur ab Alemanni interpretatione* 155. *s. Marci* 161. *s. Mariæ in Domnica* 161. *s. Praxedis* 161. 162. *Carolus Magnus petit ab Adriano I.* 175. *Aquiſgranenſia deſcripta* 187. 188. 189. *non differunt a muſivis s. Praxedis* 189.

Muſivum opus diutiſſime perdurat 24. *Triclinii Leoniani enarratur* 120. *Leoniani Triclinii, a quo fieri juſſum* 24. *ejus pars corruerat, ſed ex antiqua graphide reſtaurata* 36. *quam diligentiſſime excogitatum* 69. *Aquiſgranenſe* 25.

s. Pudentianæ 25. *ejus ætas* 25.

Baptiſterii, ut fertur, Conſtantiniani 25. *ejus ætas* 25.

s. Agnetis 25. *ab Honorio* I. *confectum* 25.

ss. Coſmæ, & *Damiani* 25. *tertio ſeculo confectum* 25.

s. Andreae Cata-Barbara antiquiſſimum 25.

s. Pauli, ejuſque aetas 25.

Muſivorum operum antiquitas 25.

s. Mariæ Majoris Sixti III. tempore perfectum 25.

s. Suſannæ deſcriptum 44. 193.

Sepulcri Ottonis II. in Vaticano 56

Leonianum deſcriptum 38. 118. 121. 122. 123. &c.

N

Nicolaus I. & *ejus monogramma in baſilica s. Clementis* 8. *quæ in Triclinio Leoniano geſſerit* 18. 131. *patrimonium s. Petri a Michaele Imperatore repetit* 111. *Johannem Ravennatem damnat* 131. *cauſam Rotundi epiſcopi Sueſſinenſis examinat* 131.

Nico-

Nicolaus III. *ſanxit, ne Senator, aut Patricius &c. ex magnatibus aſſumatur* 66.

Nicolaus IV. *muſivis tribunam Lateranenſem ornavit* 136. 137.

Niemus Theodoricus refellitur 54.

Nigellus Ermoldus poeta ineditus 82.

Nimbus quadratus capiti appoſitus quid deſignet 28. 41. 42. 48. 160. 161. *in dignitate conſtitutis apponebatur* 42. *eccleſiaſticis tantum viris antiquitus tributus* 43 *orbiculari nimbo Conſtantinus Magnus, & Juſtinianus inſigniti* 43. 164. *num ſanctitatis indicium* 43. *Salomonis effigies cum orbiculari diademate* 44. 164. *rotundus Joh.* IV. *& Theodoro PP. adpoſitus* 146. *& Adriano* I. 160. *num quadratus mortuis apponeretur* 162. 163.

Numiſmata Pontificia claves præferentia 40. *numiſma Caroli Andegavenſis* 66. *Leonis* III. 71. *Caroli Magni* 79. 87. *Conſtantini Magni &c.* 82.

O

OLdoinus notatus 181.

Oratoria ab Hilaro Papa conſtructa 141. *varia in Laterano* 141. *&c. oratorium s. Venantii muſivis ornatum* 144. 145.

Otto Magnus, ſub eo Imperium translatum ad Germanos 56. *Ottonis* II. *ſepulcrum in Vaticano* 56.

P

PAgius defenſus, ejuſque ſententia confirmata 153. *notatus* 166.

Pallio s. Petrum monachi Silentes deſignabant 46. *Pallium epiſcopale quid ſignificet* 47. *unde deſumitur, dum ad epiſcopos mittitur* 47. *crucibus inſignitum* 51. *a quibus ad epiſcopos mitteretur* 52. *epiſcopo Oſtienſi a quo collatum* 52. *s Petrus Leoni* III. *illud donat in muſivo, & cur* 124.

Panetaria, Triclinium humile 16. 117.
Panvinius Onuphrius picturas Triclinii Lateranenſis ultimus vidit 8. *ejus ſententia expenſa* 18. 19. *notatus* 21. 149. *laudatus* 28.
Papebrochius notatus 170.
Paracellarium, cella minor Triclinio majori appoſita 14.
Paradiſus Orientalis appellatum fuit atrium s. Petri in Vaticano 56.
Paſchalis I. monogramma in ſanctæ Cæciliæ 8.
Paſchalis II. inſcriptionem corporibus ss. Leonum adpoſuit 36.
Paſchalis, & Campuli conjuratio 118.
Paſqualinus Laelius notatus 72.
Patriciatum Rom. an ſpectet muſivum Triclinii 57. *Patriciatus ordinis excellentia quandiu duraverit* 58. *Patricii dignitas an inſeparabilis ab Imperio* 60. *a Romano Pontifice pendebat* 65. *ab ipſo collata* 65. *a principibus viris ad humiliores translata* 66. *ejus confirmatio* 63. *Junius, & Goldaſtus mirifice eam extollunt* 92. *Carolo Magno collata* 153.
Patricii Romani an regibus, ac Imperatoribus comparandi 57. *in principio æquo jure cum ſenatoribus cenſebantur* 57. *a Conſtantino ad præcipuam dignitatem elevati* 58. Præſentales *qui* 58. *eorum varia munia, & denominationes* 58. 59. 61. *dignitas in Carolo M. fuit tutelaris* 60. *ſenatores, & rectores Urbis dicti* 66. *& capitanei* 66. *qui fuerint ultimi* 66. *defenſores Urbis* 75.
Patricius Romanus an Rex fuerit Romanorum 57. 65. *ejus auctoritas* 60. *amictus* 66. *conſul appellatus* 96. *Patricii, ac ſimul defenſores Eccleſiæ pacto ſe obſtringebant* 97.
Patrimonii s. Petri antiquitas 110. *&c.*
s. Pauli baſilica V. Baſilica.
Penia Franciſcus notatus 52.
Penulam planeta presbyterorum repræſentat 39.
Peregrinis excipiendis a ſummis Pontificibus conſultum 23.
Perſicæ legis crudelitas 33.
s. Petronillæ ſacelli jus patronatus penes Henricum IV. 100.
s. Petrus numquam antiquitus planeta indutus pingebatur 39. *pallio denotabatur* 46. *s. Petri nomine Pontifices loquuntur,*
& per

& per eum Eccleſia deſignatur 51. *quot claves ei tributæ, & cur* 55. 56. *ejus patrimonium antiquitus nominatum invenimus* 110. *ejus veſtes expenſæ* 124.

Pipinus Romanus Patricius 51. 60. 93. *a Stephano III. contra Longobardos evocatus* 51. *filius Eccleſiæ adoptivus dicitur* 62. 93. *ac defenſor* 62. *juramentum fidelitatis ſummo Pontifici præſtat* 94. *pacta conventaque jurat* 97. *ejus epocha* 173.

Pius II. maximum vitæ periculum ſubiit 131. *convivio excepit Cardinales &c. in Triclinio Leoniano* 131.

Planeta eadem ac penula, vel caſula 39.

Pontifices Romani non vituperandi, quod ſuas imagines fieri permiſerint 26. *Pontificis corona. V.* Corona. *Ipſis translatio Imperii aſſeritur* 89. *V.* Imperium. *in filios adoptabant principes Francos* 100. *& e ſacro fonte ſuſcipiebant* 100. *Eorum electio an Carolo Magno fuerit conceſſa* 53. *quando* Domini noſtri *dici cœperint* 70. 71. 72. *& civilem dominationem acquiſiverint* 72.

Præfectura Urbis Carolo Martello oblata 95.

Presbyterium quid ſit 2. *a Leone III. exornatum* 2. *Pont. Maximo a Cardinale Camerario datur* 130.

Q

Q*Uadrata forma quid deſignet* 42.

R

R*Aſponus notatus* 144.

Regis nomen Francorum Reges renuebant 68.

Regni nomine corona Papæ donatur 83.

Rex idem ac Imperator 85. 86.

Roma ſub Caroli Magni tutela 73. *an in poteſtatem Francorum venerit* 73. *in poteſtatem Pontificum quando venerit* 73.

S

SAgum Caroli Magni 200.
Scala ſancta ubi collocata 22.
Sergius III. an inſcriptionem in tribuna Lateranenſi poſuerit 139.
s. Silveſtri Papæ imago an in Triclinio Leoniano depicta 153.
Sixti V. ædificationes in Laterano pag. 1.
Solarium quid ſit 20.
Stephanus III. Pipinum evocavit contra Longobardos 51. 71. Romanum Patricium eum appellat 60. filium adoptivum eum appellat 93. pacta cum Pipino mutuo jurat 97. 98.
Stephani IV. ſententia in Carolum M. 98. 99.
s. Svvibortius catalogo ſanctorum adſcribitur 176. 177. ejus vitam qui ſcripſerit 177.
Symbola Evangeliſtarum imaginibus ſuis adpoſita 142. necnon Apoſtolis 146.
Symmachus a crimine purgatus in gradum reſtitutus 53.
Syngrapharum uſus apud Antiquos 34. 35.

T

TEmplum V. Eccleſia : Baſilica.
Teſtamentum Caroli M. 103. Ludovici ejus filii 104.
Theodori Papæ imago cum nimbo rotundo 146.
Theodoricus annonam peregrinis conſtituit 23. a Zenone adoptatur 62.
Tiara Pontificia V. Corona.
Translatio Imperii V. Imperium.
Tribunal quid aliquando ſignificet 11. varia Tribunalia, eorumque forma 13.
Tributa Eccleſiæ Romanæ ſolvebantur 111. 112.
Triclinium Lateranenſe a Leone III. conſtructum 3. 7. 8. 117. derelictum 14. ejus deſcriptio 3. 8. aliud Triclinium ab eodem Leone conſtructum, & exornatum 3. Triclinium magnum

gnum a quo ædificatum 3. *Triclinium Vaticanum ejuſdem Pontificis* 3. *Triclinii Lateranenſis inſcriptio* 6. *Baſilica major appellatum* 117. *Triclinium Lateranenſe Leonianum appellatum* 8. *& Aula Leoniana* 11. *vel Accubitum* 11. 117. *& baſilica Leoniana* 11. 16. *& Regia* 13. 16. *an cœnatio Triclinium appelletur* 11. *Zachariæ Papæ geographicis tabulis ornatum* 12. 30. 117. *Tricliniorum varius uſus* 12. 30. 129. *quo tempore, & modo eo uterentur* 15. *Triclinium Theodori I.* 13. 16. 117. *Gregorii IX.* 14. *duplex, alterum hyemale, alterum æſtivum* 13. 14. 129. *Leonianum a Leone IV. reſtauratum* 15. 24. 117. *quando conditum* 77. *varia ejus nomina* 117.

Triclinium medium erat inter cubiculum Papæ, & eccleſiam 15. *humile* Panetaria *dictum* 16. *Leoniani uſus* 17. 18. 117. *Tricliniorum Leonis III. differentia* 22. *quid in Leoniano depictum* 30. 88. *deſcribitur a Bibliothecario* 117. *convivium quoddam in eo depictum* 118. 130. *translationem Imperii in muſivo repræſentat* 118. *Caſa major appellatur* 130. *in eo diſtributio palmarum fieri ſolita* 131. *cæremoniæ ſacræ in eo peractæ* 131. *a BENEDICTO XIV. reſtauratum* 152. *In eo Cardinales convivio excepti a Pio II.* 131. *numiſmata in eo reperta* 131. *peccatorum veniam illud viſitantibus Urbanus VIII. elargitus* 132. *ejus muſiva aliter ac Alemannus enarrantur* 155. *Triclinii picturæ iterum expenſæ* 160. 161. *& ſeqq. a Marco Velſero expenſum* 196. *ejus picturae perverſe enarratae* 193. 194. 195. 196. *quo tempore ædificatum, & ornatum* 197.

Turpinus auctor fabularum plenus 78. 193.

V

V*Angius Dux Spoleti ad quem confugit Leo III.* 77.
Vaticana baſilica V. Baſilica.

Vaticanum Triclinium, xenodochium, & noſcomium a Leone III. conſtructa 3. *Vaticana naumachia* 3. *Vaticanæ portæ inſcriptio* 41. *Vaticanus codex anni* 699. *citatur* 55. *Vaticanum atrium Paradiſus Orientalis appellatur* 56.

Vel-

Velſerus Marcus Romam venit 45. 196. *Triclinium Leonianum delineare fecit* 196. *negat Carolum M. barbam promiſiſſe* 79.
Veſtis Apoſtolorum deſcribitur 52. *qui erraverit in ea deſcribenda* 52. *Veſtis s. Petri conſideratio* 124. *Caroli Magni* 124. 125. *V.* Carolus Magnus. *cum litteris in extremitate* 146.
Vexillum Leo III. Carolo M. miſit 84. 198.
Ugonius Pompejus notatus 81.
Victoris II. numiſma 40.
Unctio Imperatorum varia apud Græcos, ac apud Latinos 47. 2. *a Græculo irridetur* 48. *qualis apud Reges Galliæ* 47. 48. 49. *an ab Hebræis mutuata* 48.

X

XYſti III. monogramma in Chriſti monogrammate inſertum 8.

Z

ZAchariæ Papæ Triclinium picturis ornatum 12. 147.
Zeno Imperator Theodoricum regem adoptavit 62.

Herr [illegible]